



# AD ILLVSTRISSIMVM ET POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, D. VVILHELMVM Landgrauium Hassiæ, Comitem in Katzenelnbogen, Dietz, Zigenhaim, & Nidda, &c.

De 912

Nr

*FRANCISCI TVRRIANI*
*Societatis* IESV

LIBER III. BIPARTITVS,

*Contra Epistolam* ANTONII SADEELIS *ad eundem Illustrissimum Principem,*

Et contra eiusdem SADEELIS repetitas cauillationes de Ecclesia Catholica visibili, & de primatu Episcopi Romani.

INGOLSTADII, *Apud* DAVIDEM SARTORIVM.

Anno cIↃ IↃ Lxxxi.

*Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.*

BIBLIOTHECA
LYCEI REGII
HOSIANI

# AD ILLVSTRISSIMVM ET POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM VVILHELMVM LANDGRAVIVM HASSIAE, COMITEM IN Katzenelnbogen, Dietz, Zigenhaim, & Nidda, &c.

## *FRANCISCI TVRRIANI*

### *TRACTATVS PRIMVS.*

Contra Epistolam ANTONII SADEELIS ad eundem Illustrissimum Principem.

### CAPVT PRIMVM.

*GRATIAS egi primùm Deo, Illust. Princeps, & ago C. V. quòd, vt audio, libros meos eidem dicatos, non illibenter, sed iocundè, & humanè acceperit, nec indiligenter legerit, sed accuratè, & alius etiã ad legendum dederit. Sadeelem verò decreui dimittere cũ sua petulantia & obstinatione, tametsi nunc saltem facere non possum, quin ad cauillationes eius propter simpliciores respondeam. Confirmauit me in hac sententia & proposito Magnus Athanasius, ad quem cùm Maximus Philosophus misisset, quæ aduersus quosdam hæreticos scripserat, petissetq; ab eo, vt aliquid ipse etiam scriberet, Maximi pietatem amplexus Athanasius, & illorum hæreticorum προπέτειαν nos petulantiam dicimus, miratus, respondit, velle se tacere: in iis enim, quæ sunt manifesta, & clariùs luce splendent, nihil aliud esse respondere, quàm προφάσεις ἀναχυντίας τοῖς ὅτῳ παρανομῶσι παρέχειν, id est, quàm præbere iis, qui sic impij essent, impudentiæ occasionem, idq; docuisse exemplo suo Dominum; cùm enim accessissent duo falsi testes, dixissetq; Princeps sacerdotum Caiphas, nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur?*

IESVS autem, inquit Euangeliſta, tacebat. Hæc Athanaſius. Non minùs ego Sadeelis petulantiam & πανόνιαν, quàm idem Athanaſius ſemper hæreticis exprobrat & tribuit (dicamus nos, ſicut quidã externus olim vertiſſe hoc verbum videtur, malam mentem & malum animum) non mediocriter miratus ſum. idcirco non committam, vt tàm petulantem, maledicum, malitioſum & maleuolum hæreticum ampliùs reſpondendo irritem, niſi neceſſitas defendendi veritatem aliud conſilium poſtulare videatur. De contumeliis verò, conuiciis & maledictis, quibus me procaciſſimè proſequitur, tantum abeſt vt doleam, vt lætèr potiùs, & id in Domino triumphem, quòd pro defenſione Catholicæ veritatis & fidei, cuius cuſtodia tanquàm depoſitum nobis commiſſa eſt, dignus eis habitus ſim. Sic enim Dominus dixit; Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me. Scio, hoc quoque Sadeel ad ſe accommodabit, idq; ipſum gloriari ſe dicet, ſed ſicut Donatiſtæ, quibus cum communem in nos hanc querelam habet. Verùm Donatiſtis reſpondit Auguſtinus, & in eorum cauſſa propter ſimilitudinem ſimul reſpondit Lutheranis: & à me in meis libris loco commodiore Auguſtini reſponſio recitata & repetita eſt. Illud verò non eſt tacendum, quod cùm putat Sadeel conuitiari ſe mihi, cùm Monachum vocat, non mihi, ſed Deo conuitiatur, à quo ſancti Apoſtoli hoc verbum ſicut acceperunt, ita nobis tradiderunt. teſtis eſt Dionyſius Areopagita, quem Confeſſioniſtæ negant, quia aliter auctoritatem eius infirmare nõ poſſunt. Teſtis etiam eſt Philo, qui Petrum vidit Romæ Caio Caligula imperatore, qui & monaſteria vocat verbo Apoſtolico domicilia Monachorũ in libro de vita contemplatrice, ſiue de ſupplicibus. Cùm verò res huic verbo ſubiecta, ab Apoſtolo Paulo laudata ſit, & ad eam hortetur, quæ vecordia eſt, nomen ei rei Apoſtolicè impoſitum, in vitio & conuitio ponere? Significat igitur nomen Monachi eum, qui, ſicut ait diuinus Dionyſius, omnibus vitis diuiſis renunciat, & cum vno, cum Deo ſcilicet, ſe copulat. Vitas diuiſas vocat Apoſtolus (quem Dionyſius ſecutus

Quomodo Deo conuitiũ faciat, qui nomen Monachi in conuitio petulanter iactat.

Quid nomen Monachi ſecundum ſcripturam ſignificet, & à quibus impoſitum ſit.

*secutus est) vitas Laicorum; qui enim cum vxore est, cogitat, inquit, quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & diuisus est; cùm dixit, quæ mundi sunt, opes quoque intellexit; Patres enim, ait Apostolus, thesaurizant filiis, & ad ista curanda potestatem sui habet laicus. His omnibus renunciant, qui secundum consilium Domini, omnia quæ habent, aut quæ habere possunt, relinquunt; & insuper seipsos dant, primùm Deo, deinde alteri per volũtatem Dei, sicut Apostolus de illis Macedonibus. 2. Corinth. cap. 8. dixit, de quo loco dicemus postea. Ad ea verò, vnde iste bonus Sadeel voluit, à C. V. in me inuidiam commouere, & si non opus erat respondere, non tamen dissimulabo, vt iste malitiam suam fortassis agnoscat. Quòd enim dixi, præsensisse Sadeelem pruritum aurium C. V. existimaui tantum principem alienum esse à studio Theologiæ & S. scripturarum, vt sunt ferè apud nos reges, & principes; misisseq; libros meos ad Sadeelem, vt responderet, quamuis apertè non iussisset, vt ex epistola ipsa perspici poterat. Sicut ergo ignoraui tritas esse aures C. V. tàm assidua sacrarum literarum lectione, ac tanta rerum theologicarum cognitione, sic existimaui cupere eam habere magistrum Sadeelem, quod nihil aliud erat, quàm velle auertere auditum à veritate, sicut Paulus de illis dixit. Itaque hoc desiderium, quod suspicabar, vocaui pruritum aurium C. V. Sed nunc tandem intelligo non hoc C. V. desiderasse, scilicet habere illum magistrum, quem docere potest, vel ipso Sadeele teste: sed quia sciebat, quanta esset eius sagacitas in venandis captiunculis & tendiculis, & quàm ingeniosus sophista (si ingeniosus dici potest, quem Græci vocant δεινὸν, qui est ad captiones tantùm & cauillationes promptus & paratus) experiri voluit, quomodo in libris meis infirmaret aut eluderet, quæ fortassè C. V. firma esse videbantur, præsertim cùm videret eisdem locis scripturæ, quibus Sadeel Ecclesiam Catholicam non esse visibilem probare voluit, contrà probare me, visibilem esse. Illud præterea, quod ait iste plastographus* affirmare me, facillimũ esse de fidei capitibus, deque nostra cum Pontificiis controuersia, etiam absq; Theologię scientia iudicare, ac pro-

ferre locum ex Euangelio, vbi Chriſtus admonet, vt per noſipſos lites ſubortas dirimamus, potiùs quàm expectemus, dum ſummo iure nobiſcum agatur, vnde, *ait*, me colligere, facilè nos rerum humanarum exemplis edoctos poſſe de hiſce controuerſiis ad fidem pertinentibus iudicium facere, *commentum Sadeelis eſt; nunquàm hoc ſomniaui: nec vllus, niſi Sadeel hoc à me, hoc loco affirmari, ſuſpicari vnquàm, vel dicam potiùs fingere potuiſſet. Martini Lutheri, cuius diſcipulus eſt Sadeel, fuit hæc ſententia, in reſolutionibus articulorum, faciles eſſe ſcripturas, & proprio ſpiritu interpretandas eſſe. Si abſque Theologiæ ſcientia de capitibus fidei, & de controuerſia Lutheranorum cum Pontificiis iudicari poteſt, vt à me affirmari Sadeel affirmat, quid igitur olim tot Conciliis, aut quid hoc noſtro ſæculo, non ita pridem Concilio Tridentino trecentorum ferè Epiſcoporum ad iudicandum de capitibus fidei, & Lutheranorum cum Pontificiis controuerſia, opus fuiſſet? Quis infernus hanc ſententiam & interpretationem in Epiſtola mea, niſi Sadeel ructare potuiſſet? Scio & pro certo habeo, redarguit hîc malitiã Sadeelis conſcientia C.V. quæ nunquàm quòd ille finxit, me affirmare, olfecit. Illis ergò præſcriptionibus doctiſſimi auctoris, & antiquiſſimi Tertulliani, & tota illa actionis forma, à Iuris conſultis ad cauſſam antiquæ fidei tuendæ translata, illud vnum efficere volui, vt C.V. non pateretur eripi ſibi fidem Catholicam, quam per traditionem Eccleſiæ patres & maiores C.V. à principio Chriſtianitatis ſuæ acceperunt, & vſque ad mortem conſeruauerunt, memores præcepti beati Ioannis Euangeliſtæ, cùm ait; quod à principio audiſtis, in vobis permaneat; quia ſi in vobis permanſerit, quod audiſtis in initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Et Apoſt. ad Galat. ſi quis vobis, inquit, euangelizauerit, præter id, quod acceptiſtis, anathema ſit. An dubitare poteſt Sadeel quin euangelizet ipſe præter id, quod Patres & maiores C. V. acceperunt? ac proinde anathema ſit cum Martino Luthero? Ad perſeuerandum igitur in doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quæ ante Martinum Lutherum in tota*

Germa-

*Germania prædicabatur, sicut in omnibus Ecclesiis, quæ per cunctum orbem dispersæ sunt, non opus erat C.V. studio aut scientia Theologiæ, qua carere eam falsò suspicabar. Ad redarguendum verò & conuincendum Sadeelem, satis esse putabam, si præscriptiones Tertulliani à ratione naturali dictatas ei obiiceret. Neque me fefellit opinio: partem enim earum dissimulat, quia eludere non potuit: partem conatur refellere: sed vtrum refellat, iudicium sit C.V. nolo alium iudicem. Vna ex præscriptionibus Tertulliani contra hæreses erat, quòd ea disciplina quæ haberet consortium prædicationis, cum aliis antegressis hæresibus iam damnatis, necesse sit habere etiam cum eisdem consortium damnationis. Nisi longum esset, numerarem superiores hæreses in conciliis ab antiquis Patribus damnatas, & anathematizatas, cum quibus consortium damnationis hæresis Lutheri habet, quia habet consortium prædicationis. Petat C.V. Catalogum earum ex quarta tabula Lindani, cuiusmodi fuerunt hæresis Ioannis VVicleff, & postea Ioannis Huss, in Germania in Concilio Constantiensi damnatæ, quas Martinus Lutherus renouauit. Item hæresis Aërij, temporibus sancti Epiphanij, qui eam confutat, damnata. Is enim tradebat presbyteros ab Episcopis non differre: nõ esse precandum pro mortuis, nihil enim eos nostris precibus adiuuari; item non esse ieiunium ex præcepto suscipiendum, sed liberè. Nullum hîc anfractum aut diuerticulum potuit Sadeel Aërianus reperire: Non enim pudere debet illius nomen ferre, cuius dogma non pudet sustinere, siquidem hic Episcopos presbyteris exæquat, vt alter Aërius. Sic beatus Athanasius ad Adelphium scripsit, de quibusdam hæreticis Arianis, quos dicit imitari κακόνοιαν Valentini, Marcionis & Manichæi. Ex quibus hi, inquit, id est, Manichæi pro veritate δόκησιν, id est, fictionem introduxerunt: Illi verò diuidentes, quòd diuidi non potest, verbum carnem esse factum, & habitasse in nobis, negauerunt. Deinde subiungit, cur igitur, cùm ita sentiant, non eorundem nominum hæredes fiunt? par enim est, vt quorum prauam opinionem susceperunt, eorum quoque habeant nomina,*

Præscriptio Tertulliani, quæ hæresim Lutheri iam olim ante Lutherum damnatã esse conuincit.

na, vt iam deinceps Valentiniani, Marcionistæ, & Manichæi appellentur. Sic ego deinceps Sadeelem Aërianum appellabo hac Magni Athanasij auctoritate & imitatione fretus, & præmunitus, imò & Manichæum vocabo; quia vt Manichæus veram carnem Christi negabat, & Christum hominem ficta specie apparuisse, dicebat: Sic Sadeel (vt paulò pòst docebo) dum Ecclesiam Catholicam non esse visibilem contendit, Christum verè in carne apparuisse, necesse est connexi negat. Miratus sum valdè malam mentem Sadeelis, omni timore Dei vacuam, qui personam iudicis Dei C. V. imponit, & quod ille audet, & agit, hoc per rhetoricam prosopopæiam, id est, per fictionem personæ C. V. tribuit. Ille enim est, qui contra præceptum diuinum, & Pauli vocem, alienum seruum, qui Domino suo stat aut cadit, iudicat: Ille est, qui fremit in Episcopos, & Archiepiscopos, & Cardinales & Pontifices Romanos, & in eos stylum acuit; ille est, qui cum suis sodalibus Antonianas stylo suo rabiosè conscribit, & nescio an concionetur, aut aliis similes conciones dictet; de C. V. nihil tale vnquàm auditum est. Sæpe audiui clementiam & humanitatem C. V. laudari, & à populis suis valdè diligi, quod est argumentum & testimonium clarissimum optimi Principis & domini. Ille ergò est, cui visum est sceleratè & impiè in persona C. V. dicere; serue nequam de ore tuo te iudico; ille inquam, hoc dicit, non C. V. Sed percontetur eum C. V. quando & in qua regione Christianorum non fuerunt semper ab initio eorum fidei, Episcopi à presbyteris distincti: Seuerianos enim siue Monophysitas scribit Nicephorus vocatos fuisse Acephalos, quòd soli inter Christianos & hæreticos, non haberent Episcopos capita Ecclesiarum. Illis sunt similes Confessionistæ. Dixi aliàs sapientiores fuisse in hac parte Donatistas, quos beatus Augustinus testatur studuisse diligenter, vt Episcopos retinerent. Percontetur igitur C. V. Sadeelem nouitatis suæ defensorem, quo tempore, quo Pontifice, quo anno, quo imperatore, egressa est Ecclesia à finibus suis, id est, descripturis sacris. Quis primus Rom. Pont. Ecclesiam non scripturæ sacræ terminis, sed humanarum traditionum, ac suæ cupiditatis finibus descripsit?

Sadeel Aërianus tanquam hæres nominis Aërij hæretici.

Quomodo Sadeel Manichæus sit, dũ negat Ecclesiam Catholicam visibilem esse.

*pſit? quando noua nomina Pontificum, Archiepiſcoporum, primatum, Cardinalium (qui ſunt Pontificis adiutores, quorum ſenatum beatus Cyprianus frequenter, cùm ad Pontificem ſcribit, collegium ſacerdotum vocare ſolet) quando inquam, noua horum nomina, & res planè nouas & noua commenta inuexit? Ipſa reſponſio coarguet & conuincet totam Sadeelis declamationem, ex ſcelerato & impio animo eius, & ex odio, inuidia atque rabie proficiſci. Nos enim quo tempore, quo imperatore, quo anno, quibus adminiſtris, quo auctore, & quibus fautoribus, & qua occaſione Eccleſiæ Germaniæ, quæ benè vſque ad illud tempus Lutheri, ſicut Apoſtolus de Galatis dixit, concurrerat, de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſanctis egreſſa eſt, dicere poſſumus, & infiniti ex Germania teſtes eſſe poſſunt, imò ipſi auctores fidei & confeſſionis Lutheranæ, annum, vt dixi, quo nata eſt, apposuerunt. Verum Sadeel* veterem illam ac rancidam *vt vocat,* nouitatis accuſationem negligendam eſſe cenſet, & nouam reſponſionem, *ait,* non deſiderare, quia, *inquit,* plùs millies à noſtris reſponſum eſt: *Quid? ſi millies reſponſum eſt malè, & nunquàm ſemel benè: non refert quàm ſæpe, ſed quàm benè. Hoc debebat probare Sadeel ſi poterat, benè ſcilicet vel ſemel tantùm reſponſum eſſe, (vt diceret, ſicut ille cæcus in Euangelio Ioannis: dixi vobis iam, & audiſtis, quid iterùm vultis audire) ſed quia non potuit, dicit non eſſe id tempus conſiderandum, quo fidei confeſſio exhibetur. Dicam cum Apoſtolo, eadem vobis ſcribere mihi quidem non eſt pigrum: vobis autẽ illuſtriſſime Princeps, neceſſarium. Scribit beatus Athanaſius in eos, qui Arimini in Italia, & Seleuciæ in Oriente Arianam confeſſionem exhibuerunt, poſitis conſule, & menſe & die: quòd ſi ſecundum ipſos ab iſtis conſulibus principium confeſſio eorum accepit; quid facient Patres & beati Martyres: aut quid facient illi, qui ab eis in Chriſtiana religione inſtituti ſunt, & ante conſules iſtos dormierunt? quomodo illos excitabunt, vt quod didicerant, oblitteretur? & quod ipſi ſcribendo inuenerunt in eos inſerant? Deinde ſubiungit: Adeóne craſſi ſunt, vt nihil fingere queant, niſi cauilla-*

Vnde manent contumeliæ Sadeelis, tam petulanter in Pontificem iactatæ.

*uillationes easq́, indecoras, & incredibiles, & ſtatim de proximo argumentis refutabiles? Huiuſmodi ſunt Sadeelis cauillationes. Ad conuitium verò impietatis & blaſphemiæ plenum, quod in Pontificem Romanum iacit,* quòd honorem & cultum ſoli Deo debitum, & ipſam gloriam Chriſti propriã, non dubitârit ad ſe transferre, *reſpondeo, quod Propheta Eſaias ait:* μωρὸς μωρὰ λαλήσει, *id eſt, fatuus fatua loquetur. Si honorem & cultum ſoli Deo debitum & gloriam Chriſti propriam non dubitat ad ſe transferre, ergo facit ſe Deum, & Chriſtum eius filium. Et omnes Eccleſiæ per vniuerſum orbem, qui eum honorant & colunt,* ἀνθρωπολάτραι, *ſunt. Periit igitur regnum Chriſti in terris: amiſſa eſt hæreditas Chriſti Dauid promiſſa; fruſtrata eſt promiſſio; aut in ſola parte Germaniæ, & in ſchiſmaticis Eccleſiis conſeruata eſt. Sit Sadeeli optio eligendi, vtrum velit: hûc euaſit impietas & blaſphemia Sadeelis. iudicet C. V. de eo, qui magis impios facit omnes per cunctum orbem Catholicos, quàm fuit Neſtorius anthropolatra; magis enim impium eſt, vt qui eſt homo terrenus & mortalis ſicut nos, faciat ſe Deum, & Chriſtum, vt talis per cunctum orbem colatur & honoretur, quàm diuidere Chriſtum in duas perſonas, id eſt, in duos filios, Dei & hominis, quod Neſtorius faciebat. Excogitet Sadeel cauillationem, qua hoc* ἄτοπον & ἀδύνατον, *in quod compulſus eſt, effugiat. Sed redeo ad nouitatem fidei veſtræ.*

Conuitium Sadeelis in Pontificẽ, quod ipſum Sadeelem in abſurdum & impoſsibile compellit.

## CAPVT SECVNDVM.

VIDEAMVS *enim quomodo probat Sadeel non eſſe conſiderandum tempus, quo fidei confeſsio exhibetur,* quandoquidem, *inquit,* Petrus iubet nos, ſemper eſſe paratos ad edendum fidei ac ſpei noſtræ profeſſionem. *Hoc dixit Sadeel, quaſi eſſet idem paratos eſſe ad edendam nouam fidei profeſſionem, & paratos eſſe, ad reddendam, ſi opus ſit, fidei veteris, & ab initio traditæ rationem. quo, quid ſtultius cogitari poteſt? Quòd ſi non eſt idem, iudicet C. V. an ſit hæc cauillatio ex illis, quas paulò antè*

*dixit*

dixit beatus Athanasius indecoras, incredibiles, & facilè refutabiles. Non dixit Petrus, parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ à vobis editur, noua fides: sed de ea, quæ in vobis est, spe & fide: de ea, quam accepistis, non quam reperistis: de ea quæ tradita ab Ecclesia, non quæ à vobis inuenta: alioqui quomodo iuberet beatus Ioannes, vt quod ab initio audiuimus, hoc permaneat in nobis? quomodo Paulus diceret, si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit? quomodo diceret Spiritus sanctus p Salomonem, ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerũt patres tui? Patres nostri fuerunt Apostoli: nõ posuisse sanctos Apostolos terminos Confessionis Augustanæ, ipsi auctores testes sunt, qui annum apposuerunt. Si liceret edere nouam professionem fidei, quomodo Apostolus Timotheo diceret, formam habe sanorum verborum, quæ ex me audisti, in fide & dilectione in Christo Iesu, bonum depositum custodi, propter fures, inqt Vincentius Lyrinensis, propter inimicos. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentũ: quod accepisti, non quod excogitasti: non ingenij, sed doctrinæ: non vsurpationis, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua non auctor sed custos esse debes. Hactenus Lyrinensis. Si non esset laus fidei antiquitas, & nouitas ignominia, non sic laudasset Apostolus fidem Timothei, vt gaudio, inquit, implear recordationem accipiens eius fidei, quæ in te est, nõ ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice. Certus sum autẽ, quod & in te. Hanc laudem amisit ea pars Germaniæ, cuius fides Augustæ edita & nata, non fuit in Patribus, nec in auis aut proauis, quia omnes fecit neophytos Martinus Lutherus, quoscunque parturiuit. Non fuisset Timothei gloria, quod fides habitasset in Eunice matre & Loide auia, nisi in Timotheo etiã habitasset: idcirco addidit Apostolus: Certus sum autem, quod & in te. Amisit igitur hanc gloriam C.V. quæ certè ingens erat, habitasse fidem Ecclesiæ Catholicæ à sanctis Apostolis per vniuersum orbem, prædicatæ, in auis, proauis, atauis, & in cæteris maioribus longa serie vsque ad primum Christianum generis

Quàm perperã locum Epistolæ beati Petri Sadeel intellexerit, vt nouitatem fidei Lutheranorũ defenderet.

Quomodo Martinus Lutherus quoscunque in Germania parturiuit, neophytos fecit.

Quòd fides Ecclesiæ Catholicæ antiquissima est in familia clarissimi generis Lãd Grauiorum.

*vestri clarissimi replicatis. Sed rursus ingens Dei beneficium est, quod seruat adhuc C. V. & expectat pro sua infinita patientia, quam scriptura vocat μακροθυμίαν, vt possit, modò velit, quod omnes sperant, recuperare hanc gloriam, & quod summum bonum est, reportare, sicut beatus Petrus ait, finem fidei salutem animæ. Finem fidei dico, qualis habitauit in maioribus suis, & cum eis sempiterna gloria frui. Huc pertinet Apostolica doctrina & constitutio, quæ lib. 8. ca. 41. ait, & agat Episcopus gratias pro eis, dicens conserua Domine populum tuum, & benedic hæreditati tuæ; & paulo pòst: eisq; concede, vt bonum certamen certent, cursum consument, fidem seruent sine mutatione & extra querelam ac crimẽ, per Dominum nostrum, &c. Hoc ipsum Apostolus Colossensibus præcipiebat, cùm ait, stabiles & immobiles ab spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Rursus si liceret vnquàm nouam fidei professionem edere, vt Sadeel vult, quomodo diceret idem Apostolus Paulus in Epist. ad Philipp. veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem regula permaneamus. In iis credendũ & seruãdis iubet perseuerare, ad quæ priùs venimus: hoc enim significat* φθάσαμεν. *Iubet enim Apostolus; hoc loco idem, quod Ioannes, quod antea dixi, vt quod ab initio audiuimus, hoc in nobis permaneat. In eadem Epist. paulò pòst explicat, quæ sint ista, ad quæ priùs Philippenses venerant. Et in quorum regula eadem sine mutatione vlla permanere iubet, quæ & didicistis, inquit, & accepistis, & audistis, & vidistis, in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Hoc ipsum alij Apostoli monebant eos, quos eodem spiritu docebant, atque ita quæ didicerunt, & acceperunt, & audierunt, & viderunt, in ipsis Apostolis, ij quibus prædicatum est Euangelium, hæc Ecclesiæ tradita sunt, & ad nos transmissa, & à nobis accepta. Sic factum est, vt vna & eadem Apostolica doctrina & fides sit in Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa. Probat hoc vna omnium Ecclesiarum, quæ partes sunt Ecclesiæ Catholicæ, communio: nos enim omnibus Ecclesiis per vniuersum orbem communicamus; Ecclesiæ confessionistarum nullis Catholico-*

tholicorum Ecclesiis communicant, per vniuersum orbem. Experiatur Sadeel, si negat, exeat ex Germania, & dicat se esse qui est, id est, Lutheranum, & tunc intelliget de propagatione & processu suæ sectæ per vniuersum orbem terrarum, vt gloriatur, non in Domino, sed in patre suo diabolo. Hactenus de loco Epistolæ beati Petri, quem Sadeel non intelligens quid diceret, ad defendendum nouitatem fidei Confessionistarum, protulit. Idem accidit ei in loco Tertulliani ex libro de velandis virginibus: quia enim sensit, per Tertulliani præscriptionem, nouitatem suæ Confessionis de hæresi conuictam esse, producit eiusdem Tertulliani locum, quem non magis intellexit, quàm locum Epistolæ Petri. Hæreses, inquit Tertullianus, non tàm nouitas, quàm veritas reuincit. Recitabo superiora & inferiora partim à Sadeele non intellecta, partim dissimulata. an ita sit, iudicium erit C.V. vtroque nostrûm libente. Propositum erat Tertulliano suadere, vt virgines in Ecclesia non essent aperto capite, & pertinere etiam ad eas, quod Apostolus Paulus in Epist. ad Corinth. præcepisset, vt mulieres velato capite orarent: Quia verò erant, qui veterem in aliquibus Ecclesiis, non velandi virgines consuetudinem obiiciebant, contra consuetudinem nouam velandi in aliis Ecclesiis Aphricanis, ait Tertullianus veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum, ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus, veritatem se non consuetudinem cognominauit; si semper Christus, & prior omnibus æquè veritas sempiterna, & antiquares, viderint, quibus nouum videtur, quod sibi vetus est. Hæreses non tàm nouitas quàm veritas reuincit, quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Hactenus Tertullianus. Hic locus Tertulliani, eodem modo hæresin Lutheri reuincit, sicut præscriptiones eius reuincunt, sic enim dixit in præscriptionibus contra hæreticos. Posterior nostra res non est, imò omnibus prior, hoc est testimonium veritatis

Locus Tertulliani à Sadeele obiectus, & in eum retortus, & hæresim Lutheri reuincens.

*vbique occupantis principatum. Hic dicit ſimiliter, ſi ſemper Chriſtus, & prior omnibus æquè veritas ſempiterna, & antiqua res; ergo velandas eſſe virgines vna cũ mulieribus, cùm orarent, veritas erat, & antiqua res; quia priùs prædicata & ab Apoſtol. præſcripta, & iuſſa in Epiſt. ad Cor. Nec interest, quòd conſuetudo non velandi, in aliquibus Eccleſiis antiqua erat: hæreſes enim inquit, non tàm nouitas quàm veritas reuincit. Sic dicendum est, ſecundum hanc Tertulliani præſcriptionem: res noſtra prior est, ac proinde veritas est, veritas enim priùs prædicata est quàm falſitas. Si igitur vera est noua confeſſio fidei proteſtantium, neceſſe est, vt ante noſtram fuerit. Oſtendat hoc Sadeel, qui contra Tertulliani præſcriptionem tàm obtusè cauillatur. Veriſsimum est, quod dicit Tertullianus, hæreſes non tàm nouitas quàm veritas reuincit: quia etſi nouitas reuincit, magis tamen veritas. Quare hoc? quia potest fieri, vt conſuetudo hæreſis ſit non noua, ſed vetus (vt erat illa vetus conſuetudo non velandi in aliquibus Eccleſiis Africanis contra ſcripturam Pauli,) & tunc non nouitas reuincit hæreſin, ſiquidem hæreſis vetus est, ſed veritas: quia ſcilicet poſterior est hæreſis quàm veritas. Aut ſi non est poſterior, ſequitur, vt priùs falſitas fuerit prædicata quàm veritas. Sed videamus quod idem Tertullianus in eodem loco ſubiunxit, quod clarius adhuc hæreſin noua confeſſionis condemnat. Cæterum, inquit, ſuo vitio quis quid ignorat: quod autem ignoratur, fuit tàm requirendum, quàm recipiendum quod agnoſcitur. Si conſuetudo illa velandi virgines ignorabatur, vtrum eſſet ſecundum ſcripturam, ſicut hoc requirendum erat, ait Tertullianus, ita recipiendum erat, quod non ignorabatur, ſed potius ſciebatur, eſſe ſcilicet velandas interorandum in Eccleſia, quia Apoſtolus præceperat. Deinde ſubiungit; regula quidem fidei vna omninò est, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet vnum Deum, & quæ in Symbolo ſequuntur, vſque ad carnis reſurrectionem & vitam æternam. Sequitur deinde hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente vſque ad ſi-*

*ad finem gratia Dei. Nihil ergò in fide nouari vult Tertullianus cuiusmodi est, quod in scriptura continetur de virginibus, vt velato capite orent: Fides enim auctore Tertulliano vna, irreformabilis est, & immobilis. Non igitur licuit Luthero, mouere illam & reformare. Cætera quæ non sunt fidei, id est, nec in scripturis, nec in Apostolicis traditionibus, quas Ecclesia Catholica per prædicationem Apostolorum, licet sine scripto accepit, corrigi possunt & reformari, operante scilicet, vt ait Tertullianus, & proficiente vsque in finem gratia Dei. Sic sunt nuper in Concilio Tridentino, multa quæ ad fidem non pertinebant correcta & reformata. Hactenus de loco Tertulliani à Sadeele contra præscriptiones eiusdem, ad defendendam nouitatem hæresis suæ obiecto, iudicet C. V. an eum intellexerit Sadeel, qui nisi esset, sicut Apostolus ait, subuersus & proprio iudicio condemnatus, magis laboraret in eruendo vero sensu, eorum quæ legit, quàm in venandis cauillationibus ad eludendum, quæ eum & sectam eius reuincunt. Hunc locum Tertulliani mutilatè recitauit Sadeel, vt mos est hæreticorum, qui obiicit mihi,* quòd decurtatam hanc sententiam decies & cò amplius, nempe vt paginam implerem, decantatam repetierim: Quid autem & quod iustum est à vobis ipsis non iudicatis? *Miror tàm obtusum esse Sadeelem, vt non intelligat integram & absolutam esse hanc sententiam, nihilq; ei deesse ad monendum eum qui iudicat, vt rectè iudicet. Sic etiam hanc sententiam citauit Clemens Romanus lib. 2. de constitut. Apost. cap. trigesimo septimo. Sic enim ait: Episcopum tamen oportet rectè iudicare, sicut scriptum est: iustum iudicium iudicate, & aliàs. quid verò ex vobis ipsis, quod iustum est, non iudicatis? si iustè C. V. non patitur, vt quis limites suos commoueat, siluas suas cedat, cur patiatur terminos antiquos, quos patres nostri, id est, sancti Apostoli posuerunt, transiri? Salomon ait in Prouerb. cap. 26, sicut qui tenet caudam canis, sic qui præest alieno iudicio: Alienum iudicium vocat iudicium iniquum, quia non est Dei, sed diaboli; sicut ergò euenire solet ei, qui caudam canis tenet; ab eo enim mor de-*

*mordetur, quem tenet. Sic qui, quod iustum est, non iudicat, suo se iudicio, quod facit, condemnat; Et Dominus, in qua, inquit, mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis: qui enim iniquum iudicium in alium pronunciat, ait Apost. const. lib. 2. Clement. cap. 42. in seipsum pronunciat; & Dominus in Euangelium, quo iudicio iudicatis, iudicabimini. Idcircò Dominus in Euangelio Lucæ ait: quid, quod iustum est ex vobis ipsis non iudicatis, id est, ex iudicio quod vobis subeundum est. Reprehendit Sadeel, quòd decies, & eò ampliùs hanc sententiam vt paginam implerem, repetierim. miror cùm hanc sententiam ibidem dicat me rhetoricè dilatasse, cur non etiam dixit aut putauit, eandem sententiam me rhetoricè repetisse? Sed quid mirum, Illustrissime Princeps, si decies repetita sententia grauis & molesta fuit Sadeeli, qui ne semel quidem nisi nauseans audisset.*

## CAPVT TERTIVM.

*AIT præterea Sadeel* nos verbis tantùm defendere antiquitatẽ, qui veræ antiquitatis diuitias, hoc est, Apostolicę doctrinę & disciplinæ puritatem effudimus. *Roget C. V. Sadeelem, vt proferat tempus, quãdo cœpimus effundere, aut quando aliam doctrinam fidei habuimus, præter eam, quam nunc habemus. Si enim effudimus veram doctrinam Apostolicam, necesse est, vt aliquando eam, quam effudimus, habuerimus, vel ipsò Sadeele teste. ipse enim ait, nos effudisse diuitias veræ antiquitatis, sicut ille ærarium. Hærebit hîc Sadeel, & vel nihil respõdebit, vel ad aliquam cauillationem confugiet, ex illis quas Athanasius dixit esse hæreticis familiares. Nos quod ab initio audiuimus in nobis permanet, sicut beatus Ioannes præcipit, & idipsum in Germania permanserat, vsq; ad aduentum Martini Lutheri, cùm Confessioniſtæ omnes, qui & nomen & fidem nouam ab eo acceperunt, quod antea ab initio acceperant, & perpetuò conseruauerant, effuderunt. Gracchum & ærarium Gracchi in Confessioniſtis delineauit Sadeel: ipsi enim effuderunt antiquas diuitias Apostolicæ fidei & doctrinæ Augustæ,*

anno

*anno 1530. ineunte Martino Luthero Germanicum apostolatum, & cum debuissent esse sicut Apost. const. præcipit, boni trapezitæ, id est, periti argentarij, maluerunt esse mali: vt enim illi nummos adulterinos segregant, probos autem sibi adiungunt, sic contra mali trapezitæ siue mensarij, adulterinos nummos sibi adiungunt, & probos reiiciunt. Hoc fecerunt Confessionistæ, qui reiecta Apostolica fide & doctrina, tanquàm moneta sigillo Ecclesiasticæ traditionis signata, fidem à Luthero traditam, tanquàm nummum adulterinum receperunt.* Illud verò quod aulicus monachus *(sic enim me appellat Sadeel)* obiecit, in sola Germania esse, qui doctrinam Euangelicam profiteantur, nec illi quidem satis inter se consentientes; *sic refellit,* quòd per strepitum aulæ Pontificis, in qua, *vt iste fingit,* Romę versor, non licuerit mihi audire, quę passim circumferuntur de propagatione & processu euangelicæ doctrinæ, id est, Lutheranæ, per vniuersum orbem terrarum; idque tanto consensu, vt vbicunque sunt Ecclesię Lutheranæ, Pontificium primatũ, vno ore, eisdem animis, verbis ac scriptis damnent, reiiciant, refellant, detestentur, denique perhorrescant. *Hactenus Sadeel. Iudicet C.V. sitne hæc responsio ad id, quod ego obieci apta, an cauillatio indecora & fatua, & αὐτόθεν βδέλυκτο, id est, quæ à seipsa facilè refutatur? Vt autem hoc appareat, & ita esse, vt dico, perspiciatur, satis est recitare iterùm, quæ ego in Epist. ad C.V. scripsi. Deinde, aiebam, si Euangelium, sicut Dominus in Euangelio Matth. dixit, prædicandum est in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio; & iam nos omnes, in quos fines sæculorum, sicut Apostolus ait, deuenerunt, audimus, legimus, videmus Euangelium quod nobis prædicatum est, vbique prædicari; Euangelium verò Lutheri tantùm abest, vt vbique prædicetur, vt finibus Germaniæ vix excesserit, imò nec eam totam occupauerit, An non est hoc signum euidens & luce clarius, doctrinam sectæ Lutheranæ non esse Euangelium, vt ipsi Lutherani falsò vocant? Si enim Euangelica est, quomodò ab*

Quomodo Sadeel in Graccho, qui ærarium effudit, Germaniã delineauit, quæ fidem veterem proiecit.

Quomodo Cõfessionistæ mali trapezitæ fuerunt.

Quàm falsum sit quod Sadeel iactat de propagatione noui Euãgelij.

*omnibus Ecclesiis cuncti orbis, vbi euangelizatum est, anathematizatur? Hæc ego in Epist. adiungam, postea reliqua, si priùs interrogauero, quid hic respondeat Sadeel ad locum Euangelij, in quo Dominus dixit, prædicandum esse Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc venire consummationē? De quo Euangelio loquebatur Dominus, cùm hoc dixit? Sanè quidem necesse est, respondere de vero Euangelio, quod ab ipso Domino, & sanctis Apostolis eius, post Dominum cœpit prædicari. Erátne hoc Euangelium Lutheri? minimè dicet Sadeel, nisi insanire velit, & sensu communi carere. ipsi enim Confessionistæ testes esse possunt, quo anno edita fuerit eorum Confessio, & desitum esse prædicari Euangelium, quod ab initio prædicatum semper fuerat. Quòd si Euangelium Lutheri verum est, ergo illud est prædicandum in vniuerso orbe, & de illo Christus loquebatur. Debuit igitur illud priùs à Domino, & ab Apostolis post eum prædicari, quia veritas vbiq; antecedit, vt ad lineam præscriptionis Tertulliani reuertamur, quæ Euangelium Lutheri, cum patrono & ministro eius Sadeele iugulat. Deinde interrogabam, si doctrina sectæ Lutheranæ euangelica est, quomodo ab omnibus Ecclesiis cuncti orbis anathematizatur? Hîc Sadeel crassissimam cauillationem reperit, quia aliud non potuit. Ait* passim circumferri de propagatione & processu Lutheranæ, id est, Euangelicæ doctrinæ, tanto consensu, vt vbicunque, *inquit*, sunt nostræ Ecclesiæ, Pontificium primatum vno ore, eisdem animis, verbis ac scriptis damnent, reiiciant, refellant, detestentur, denique perhorrescant. *Ignorat miser Sadeel hoc etiam, quod ipse hîc cauillatur, à Domino prædictum esse ad præcauēdum: sic enim de Antichristo, & de Antichristis, qui iam, sicut ait beatus Ioannes, exierūt, scriptum est: Tunc si quis vobis dixerit, ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. De istis signis & prodigiis Apost. in Epist. ad Thessal. 2. dixit: Cuius est aduentus secundum operationem*

Prescriptio Tertulliani, quę nouitatē fidei Cōfessionistarum redarguit.

nem Satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. Non enim vera miracula erunt, neque verè expellant dæmones ex corporibus, sicut in virtute veri Euangelij verè expelluntur, & non κατὰ δόκησιν. Subiungit deinde Euangelium: Si ergò dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere: Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet vsque ad Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis. Nunquàm hæretici, vbi nõ dominantur, publicè doctrinam suam tradunt, sed in cryptis, in speluncis, in remotis & abditis, clàm. vt iam ex eorum secessu, & latendi studio præiudicium de hæretica doctrina fieri possit & debeat. Cum Pontifex interrogauit Iesum de discipulis, & de doctrina eius, respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Hinc apud nos, & apud omnes Catholicos suspecti sunt, qui secretò de rebus Ecclesiasticis docent, conati quidem sunt Lutheraniin Hispania, in Italia, in regno Neapolitano, & in aliis locis & prouinciis tradere doctrinam suam, vnde semper in nocturnis conuenticulis deprehensi sunt, & mox extincta hæresis, & puniti auctores. De hæreticis dixit Esaias 56. canes muti non valentes latrare, quia impius, ait Salom. Prouerb. 13. confunditur, & non habet fiduciam loquendi, vnde lupos occultos eos vocat Apost. doctr. lib. 6. Clem. cap. 16. Vbicunque, inquit Sadeel, sunt nostræ Ecclesiæ. Ede nomina Ecclesiarum, apud nos enim & vbique terrarum, vbicunque Ecclesiæ sunt Christianorum, omnes Ecclesiæ dicatæ sunt, aut Domino, aut Matri Domini Virgini Mariæ, aut alicui Sancto, aut sanctis Angelis. si per vniuersum orbem Ecclesiæ Confessionistarum sunt, vt Sadeel affirmat, nominet Ecclesiam aliquam ex istis per vniuersum orbem terrarum, vbi Catholici dominantur, dicat cui dicata est, vt eam inueniamus. Sed fingamus quod Sadeel vult, vt per vniuersum orbem sit disseminata hæresis Lutheri; quæremus rursus de illis, apud quos disseminata est, quod paulò antè de Germanis quærebam, quid ante Lutherum illis per

Quomodo hæretici canes muti, & lupi occulti.

*vniuerſum orbem, vbi propagata eſt, vt Sadeel dixit, Euangelica doctrina, priùs euangelizatum erat? Si verum Euãgelium, cur aliud præterquàm, quod euangelizatum erat, euangelizaſtis? ſi falſum, cuius hæretici Euangelium erat, Valentini, an Marcionis, an Manichæi, an aliorum? Videt C. V. verum eſſe, quod antea dicebat Athanaſius nihil hæreticos fingere poſſe, niſi cauillationes indecoras, incredibiles, & facilè refutabiles? Redeo ad illa, quæ in epiſt. ſcripſeram, quæ à Sadeele præterita ſunt. Sic enim aiebam: Confirmat hoc Apoſt. cùm præcipit Corinth. vt mulieres in Eccleſiis non doceant, ſed taceant. Conformat autem orationem, quaſi aliqui contradicerent, qui non exiſtimarent decere, vt mulieres in Eccleſia ſilerent. arguens igitur eos, An à vobis, inquit, verbum Dei proceſſit, aut ad vos ſolos peruenit? vt perinde ſit hoc, ac ſi diceret, an vos eſtis primi magiſtri, & à vobis prædicatio Euangelij ad reliquos manauit? aut ad vos ſolos deuenit prædicatio, vt non oporteat, quod aliis Eccleſiis prædicatum eſt recipere & ſequi? Hæc eadem Pauli contra Corinthios illos, qui contradicebant, argumẽtatio doctrinam Lutheri redarguit, & falſam eſſe conuincit: ſiquidem Lutherus non fuit primus in Eccleſia prædicator Euangelij, nec in ſola Germania prædicatum erat Euangelium: Debuit igitur Lutherus prædicare, ſicut in aliis Eccleſiis cuncti orbis, ad quas prædicatio Euangelij deuenerat, prædicabatur. Hoc autem cùm non fecerit, ſequitur ſuum fuiſſe, & à ſe inuentum Euangelium, quod in Eccleſiis Germaniæ prædicauit. Si enim C. V. dicebam, aliquod genus indumenti in Germania videret, quod nuſquàm aliàs in vniuerſo orbe eſſe aut fuiſſe vnquàm audiret, an non certus eſſet, id indumenti genus in ſola Germania inuentum & excogitatum eſſe? Idem C. V. iudicare debet de Euangelio, quod Lutherus euangelizauit. Hoc autem vt adhuc certiùs & clariùs atque faciliùs C. V. perſpiciat, & ita eſſe iudicare poſſit, quod de Euangelio Lutheri in Germania tunc primùm edito dico, obteſtor eam per ſalutem animæ ſuæ, vt percurrat elenchum dogmatum Lutheri, quæ Apoſtolica doctrina, quam octo libris Clem. Rom. Petri ſucceſſor, & eiuſdem diſcipulus*

*scipulus conscripsit, propriis verbis & sententiis condemnat, & noua ac peregrina, & à traditione Apost. aliena esse conuincit. Positus est hic elenchus in principio librorum Clemẽtis Rom. de const. Apost. post longam præfationem horum librorum. quãta enim sit auctoritas, & quantus olim eorum vsus, & quàm frequens lectio, ex eadem præfatione intelliget. Non est audiendus miser Sadeel, qui quia non potest elabi, nec alias latebras, aut cauillationes reperire, vno verbo negotium confectum esse putat, si hos libros neget. Idem faciunt in Dionysio. Adhæc quæ ex Epistola mea ad C.V. recitaui, quia nihil penitùs Sadeel ad respondendum habuit, sicuti nec ad superiora, confugit ad cauillationem sibi familiarem,* ἀπρεπῆ, ἀπεδαγον αὐτόθεν ἐνέλεγκτον, *cuiusmodi sunt cauillationes hæreticorum, semper enim hæretici fuerunt in defendendis suis dogmatibus inter se similes. Cauillatio autem, ad quam confugit Sadeel, fuit illa, quam paulò antè dixi & refutaui,* quòd Euangelica doctrina Lutheri, per vniuersum terrarum orbem propagata esset, & quidem, *aiebat*, tanto consensu, vt vbicunque Ecclesiæ suæ, *quas fingit*, essent, Pontificium primatum, de quo nostra, *inquit*, hæc instituta est disputatio, vno ore damnent, refellant, *&c. En Illustrissime Princeps, aperuit Sadeel, quorsum spectet totus conatus eius, qui ex crudeli & impio pectore, interitum Pontificalis principatus, ac proinde Ecclesiæ interitum, super eum à Deo ædificatæ anhelat, vt ille, qui se transfigurat in angelum lucis, possit dicere Sadeeli cum Deo pugnanti, quod Angelus dixit Iacob, cum quo luctatus fuerat tota nocte vsque ad auroram, Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? Expressit Iacob, vt beatus Cyrillus interpretatur, in libro contra Nestorium, in quinque tomos partito, quem vocat pentabiblon, expressit, inquam, imaginem hæreticorum, qui cum Deo pugnant, dum in tenebris sunt, quousque Dominus illuminet oculos cordis eorum, sicut Apostolus ad Ephes. scripsit. sic facit Sadeel, donec Dominus in corde eius illucescat, sicut idem Apost. in 2. ad Corinth. dixit. Audiuimus nuper, quod valdè credibile est, misisse*

Quomodo Sadeel ex crudeli, & impio pectore interiùs Pontificalis potestatis & dignitatis à Deo donatæ anhelat.

Imago hæreticorum expressa in Iacob pugnãte cum Deo nocte vsque ad auroram interprete Cyrillo.

*nouos Euangelistas Confessionem Augustanam Constantinopolim ad Patriarcham, adductos scilicet in spem prosperi & fortunati successus, quòd illic magistratus Christiani non habent potestatem gladij, imò si quem auctoritate sua capite plecterent, continuò in eos à Turca tanquàm in sicarios animaduerteretur. Legerunt præterea isti Confessionistæ plures Patriarchas Constantinopolitanos fuisse olim hæreticos, Macedonium, Acatium, Sergium, Pyrrum, Paulum, Petrum, Anastasium; atque ita eum, qui hodie est, confidenter aggressi sunt: Sed nõ succedet, vt sperabant, statim enim vt Turca olfaciet, ad palum ibitur. odit enim vehementer in Christianis mutationem fidei, & dicere solet Barbarus non barbarè, non posse fidelem esse homini, qui non sit Deo. Auditum præterea est, approbasse ex parte Patriarcham Confessionem Augustanam sibi oblatam; fortassis ex ea parte approbauit, quam Sadeel archieromachos iactat,* quòd vbicunque sint Ecclesiæ Confessionistarum, Pontificium primatum omnes vno ore detestentur. *Demus ita esse, quod neque scimus, neq; credimus, quid aliud est hoc, quàm gloriari de reditu Græcorum ad vomitum? quis ignorat dedisse tandem memoria patrum nostrorum, dextras Patriarcham Constantinopolitanam, cum reliquis Patriarchis Orientis, & cum Ecclesia Græcorum Pontifici Romano, præsente Imperatore, in Synodo Oecumenica Florentina; ibíque confessos esse principatum eius in omnes mundi Ecclesias? An auctoritas grauissima illius Synodi istam gloriationem Sadeelis vanissimam nõ coarguit stultitiæ & fatuitatis? Expectet paulisper miser Sadeel, donec incipiat prædicati doctrina noui Euãgelij, in Ecclesiis Græcorum, tollendas esse imagines, non esse pro mortuis precandum, non orandos esse sanctos, Episcopos non esse maiores presbyteris, non esse ex præcepto ieiunandum, nec esse habendum delectum ciborum; & alia, ne omnia enumerem, & glorietur tunc, vel potiùs lugeat.*

CAPVT

# CAPVT QVARTVM.

VENIO *ad aliam cauillationem. obieceram crimen nouæ fidei ab hominibus nominatæ, testibus grauissimis Tertulliano & Magno Athanasio, vt à Simone Simoniani, à Marcione Marcionistæ, ab Ario Ariani, similiter à Luthero Lutherani. Respondeo simul ad id, quod ab ipsis Lutheranis rursus in nos obiici solet, vt nos sui similes faciant, quòd apud nos ex religiosis, alij Franciscani, alij Benedictini, alij alio nomine appellentur, & in Scholis alios Thomistas, alios Scotistas nuncupemus. Dixi religiosos, cuiuscunque ordinis & nominis sint, in fide & dogmatibus fidei, vnum atque idem dicere, eodem sensu, & eadem scientia esse, sicut Apostolus præcipit; & non sunt schismata, & si quis aliter sentiret, non parceretur ei ab his, qui in fidem vnusquisque vigili cura inquirunt. In Scholis similiter, qui sê Thomistas, id est, sectatores Thomæ profitentur, de nulla quæstione, quæ ad fidem pertineat, ab iis, qui se Scotistas nominant, dissentiunt, neque dissentire eis vllo modo licet; sed in aliis quibusdam opinionibus, quæ salua & integra vnitate fidei disceptantur. Deinde dixi, nihil tale de ministris Confessionistis dici posse, qui tot fides & confessiones profitentur, quot nomina ab hominibus acceperunt, vt Lutherani à Luthero, & eius tanquàm radicis filiæ Carolstadiani, Zuingliani, Osiandrini, Schuẽckfeldiani; vtrum autem istæ sectæ in fide discreparent, Principes & Comites Mansfeldenses esse posse, qui vndecim sectas Lutheranorum magnis libris editis, cõdemnauissent. De quibus autem dissentirent, tàm grauia esse, vt ex Lutheranis Nicolaus Gallus in lib. Theseon & Hypotyposeon affirmaret de grauissimis & sublimibus; (sic enim loquitur) Christianæ doctrinæ articulis Lutheranos inter se dissentire. Hæc & alia in eandem sententiam, quæ in Epistola scripsi, quia refellere non potuit Sadeel, ad familiare perfugium vanissimæ cauillationis se contulit, vocátque me* impurum calumniatorem, *quòd ea obieci, quæ ipse non refellendo, sed ad manifestam cauillationem confugiendo*

Lutheri hæreſis in multas ſectas partita, ſicut Acephalorum hæreſis in XVI. ſectas diuiſa.

*do ſatis manifeſtè confitetur. Addam verò hîc, quod illic prætermiſi de tot ſectis Lutheri, quas dixi Principes & Comites Mansfeldenſes, magnis libris editis condemnauiſſe; idem enim quod Lutheranis, euenit Acephalis, qui in ſedecim ſectas diſſecti fuerunt, quas enumerat, nominat & diſtinguit Timotheus presbyter Conſtant. Confecta verò numeratione & deſcriptione earum, ſubiungit: Quis non condemnet eos, qui in tot partes diuiſi ſunt, & qui ſe viciſſim anathematizant, εἰ μὴ παντελῶς ὅλῃ φρενῶν ἔρημός ἐστιν, id eſt, Niſi penitùs amens eſt, in his, inquit, impleta eſt ſcriptura, quæ ait: demerge illos in profundum & diuide linguas eorum. idem dicendum eſt de ſectis Lutheri, & idem in eas precandum. Hos Acephalos diu caruiſſe Epiſcopis auctor eſt Nicephorus Calliſtus, & inde dictos Acephalos, quales ſunt nunc Lutherani. Sciebat enim ſcriptor hiſtoriarum & nuncius vetuſtatis eſſe conſuetudinem omnium Eccleſiarum à ſanctis Apoſtolis traditam, vt Epiſcopi eſſent capita Eccleſiarum, vt qui eos non haberent, Acephali dicerentur, & eſſent; tametſi de Acephalis fortaſſe non ita eſt, habuiſſe enim Epiſcopos, teſtes ſunt Acephali Barſenuphitæ, ſic dicti à Barſenuphio Epiſcopo, à quibus alij Acephali diſſentiebant, quòd apud eos non haberetur Barſenuphius canonicè ordinatus. Alij item Acephali dicti ſunt Eſaianiſtæ ab Eſaia Epiſcopo, quem aiebant ordinatum eſſe ab Euſebio Pamphili, qui Seuerum presbyterum ordinauerat. Alij verò Acephali Eſaiæ ordinationem caſſam & irritam eſſe dicebant, & illum vocabant* νεκροχειροτόνητον. *Sapientiores quidem illi fuerunt, qui Epiſcopos, licet hæreticos & capita mortua, habere maluerunt, quàm eis carere. idem fecerunt Donatiſtæ, portentum enim illis videbatur corpus ſine capite, vnde verius fortaſſis eſt, dictos eſſe Acephalos, quod cùm vnam naturam in Chriſto, poſt vnionem ponerent, vnde Monophyſitæ vocati ſunt, Deũ Chriſti caput, & caput noſtræ ſalutis, quod eſt humanitas Chriſti tollebant, facti hæretici* θεοπαχίται. *Illud prætereà obſeruandum eſt hîc, Illuſtriſſime Princeps, quòd ſicut illæ ſectæ ſedecim Acephalorũ ab vno Principe & auctore Seuero ortæ, ad occaſum & interitum*

*hæreſis*

*hæresis Monophyticarũ profecerunt iuxta sententiam Domini; Omne enim regnum, inquit, contra se diuisum desolabitur, sic in sectis Lutheri eueniet: Si enim, inquit Dominus, Sathanas aduersum se diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Sed redeo ad Sadeelem, qui* monachorum dissensiones in moribus & doctrina *fallaciter obijcit*, & me à Magistro Lombardo desciscere *fingit*, & Thomam Angelicũ Doctorem repudiare, & Gratianum flagellare. *Non notauit paginã, vt conscius mendacij sui: Sed quia hæc ostensurum se dicit suo loco, ego item suo loco mendacia esse conuincam, & nihil ad rem pertinere, id est, ad dissensionem de dogmatibus fidei, quam illi obiecimus, sed meram cauillationem esse. De S. Thoma, quem meritò angelicum Doctorem Sadeel vocauit, fortasse, quò maiorem ex ea laudatione in me inuidiam commoueret. quia paginam non notauit, ne ego euoluendo paginas laborem, vt mendacij conuincam, nihil aliud hîc respondebo, nisi S. Thomam nunquam ab Apostolica & Ecclesiastica traditione dissentire in doctrina sua, neque nos ab eo, sed si angelicus Doctor est, vt quidem est, cur Sadeel aliud Euangelium ab angelo de cœlis lapso, & in Angelum lucis transfigurato prædicatum præter illud, quod angelicus Doctor in Ecclesia catholica accepit, prædicauit & docuit, secutus est, & sequitur? An non de ore suo miser homo iudicabitur? Quod si per ironiam angelicam vocauit, cur ægrè fert repudiationem eius, de quo per ironiã detrahit? Dicit deinde,* me à meipso dissentire, & perpetuis cõtradictionibus conflictari, *& quasi verum dicat, notat paginas in margine: videamus an ita sit, an potiùs tot commenta sint, quot notationes paginarum fecit. Nunc ait,* me locum Matth. *16.* non putare ad electorum Ecclesiam pertinere, *atq; id mihi gratulatur: nunc contrà agnoscit* me locũ illum referre ad Ecclesiã electorum, ac *proinde suam gratulationẽ reuocat; quia cum 4. locis Pauli, quibus dixit Sadeel, probari Ecclesiam inuisibilem electorum, non numerauerat locum Matth. 16. dixi cap. 3. libri mei, me gratulari hoc Sadeeli, & meritò dixi: Postea autem cap. 14. reperi*

Contradictiones notatæ à Sadeele, totidem commenta eius deprehensa, & conuicta.

Prima contradictio ficta.

*me deceptum, & ſcripſiſtic. Hos locos Apoſtoli à te obſeruatos, de Eccleſia electorum inuiſibili, docui, & vt arbitror, ſatis demonſtraui, nõ poſſe intelligi de Eccleſia tua iſta inuiſibili, & gratulatus ſum tibi, quòd locum Matth. c. 16. de ædificatione Eccleſiæ ſuper petram, de electorum Eccleſia inuiſibili, accipiendũ eſſe non putauiſſes, ſiquidem non eum inter alios notaueras: Sed fefelliſti opinionem meam; reuocanda eſt gratulatio. Illic gratulatus ſum c. 3. cùm non numerauit Sadeel, cum aliis locis de Eccleſia inuiſibili electorum, locum Matth. Hic ca. 14. non gratulor, quia fefellit opinionem meam. Rogandus eſt Sadeel, an ſit ἀντίφασις, id eſt, contradictio, gratulari in vno loco, & non gratulari in alio? An ignorat homo elenchis imbutus & tinctus, quæ requirantur ad contradictionem? eſtnè hic affirmatio & negatio eiuſdem & de eodem, & ſecundùm idem, cum reliquis partibus, quas tradunt, qui de his docent? Mirer, niſi Paulum de contradictione accuſet, quia dixit in 2. Ep. ad Cor. voluiſſe priùs ire ad Corinthios, & poſteà ad Macedones, iuit tamen priùs ad Macedones, vt in prima Epiſtola promiſerat, excuſatq; non fuiſſe, in ſe eſt & non, ſcilicet, quia alia de cauſſa voluerat ire priùs ad Corinthios, & alia de cauſſa non potuit: aliaq; tamen de cauſſa voluit, & alia non voluit, quia non potuit. Ipſe potiùs miſer reprehendendus eſt, qui cùm bene priùs prætermiſiſſet illum locum Matth. qui eius falſam opinionem de Eccleſia inuiſibili conuincit, poſteà non prætermiſit, ſed alios locos à me confutatos perperam adiunxit. Hæc eſt vna contradictio à Sadeele fallaciter notata. Secunda eſt:* Nunc affirmat fidem Petri, ſuper quam dicit Eccleſiam eſſe ædificatam eſſe fidem, qua Petrus credidit: nunc ait, fidem illam eſſe doctrinam, quam profeſſus eſt Petrus, & quam Eccleſia profitetur & prædicat. *Hæc eſt ſecunda contradictio à Sadeele ficta, in qua aliquid appoſuit inſidioſè: ſecundam enim partem cõtradictionis commentitiæ, nuſquam in meo libro oſtendere poterit Sadeel. Signet paginam vbi ego dixi: fidem illam, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt, eſſe doctrinam, quam profeſſus eſt Petrus, & quam Eccleſia profitetur & prædicat.*

Secunda contradictio ficta.

*prædicat. Hoc scilicet vellet Sadeel furtim saltem & dissimulanter sibi surripere, quasi à nobis concederetur, Ecclesiam esse ædificatam super doctrinam, quam Ecclesia profitetur & prædicat. Ipse enim Sadeel cum Confessionistis doctrinam Euangelicam in Ecclesia protestantium prædicari tradit, & super eam ædificatam esse Ecclesiam suam. Ostendat igitur C. V. hoc, quod fingit, sic scriptum esse in meo libro vt recitat; vt si non ostenderit, conuictus mendacij & calumniæ sit, & plastographus habeatur. Ego in vna ex paginis ab eo notatis 96. sic scripsi: neq; Christiani ideo credunt, quia Petrus constanter credidit; Sed quia Spiritus S. in eis operatur, vt credant, veraq; fide amplectantur Christum filium Dei viuentis, & hoc etiam damus: quod autem adiunxisti,* atque ita super Petrum ædificentur, *falsa est hæc interpretatio, & à te inuenta, cui nulla scriptura, nec vllius antiqui doctoris auctoritas, & testificatio astipulatur. Est quidem charisma vnicuiq; Christiano datum credere in Christum Filium Dei viuentis; recitaui ibi testimonium Clemẽtis Romani Græcè, deinde subiunxi: Verùm huiusmodi charisma fidei cuiusq; non est petra, supra quam ædificatus est, qui hoc charisma accepit & habet. & paulò pòst: Sed potiùs petra est charisma, fidei Petro promissum & datum ad ædificandum & firmandum Ecclesiam super eum. Etsi enim, vt antea dixi, fides non nititur in auctoritate humana, sed in auctoritate veritatis à Deo reuelatæ, tamen quæ esset veritas à Deo reuelata, tunc certos nos esse voluit, & prouidit Christus, cùm confessio nostræ fidei, cum confessione fidei Petri & successoris Petri consentiret, à qua, quia Confessio Augustana, quam à Martino Luthero acceperunt, dissentit, idcirco falsa est & hæretica, & protestantes, quia à cathedra Petri discesserunt, Ecclesiam super Petrum à Christo in ædificio Ecclesiæ positam, nõ habent ædificatã; itaq; non credimus, quia Petrus constanter credidit, quod Sadeel temerè obiecit, quasi nos hoc diceremus, sed ideo credimus fidem nostram in auctoritate veritatis à Deo reuelatæ niti, & non in auctoritate humana (vt fides protestantium in auctoritate Lutheri nititur, licet*



[illegible] EX LIBRIS [illegible]

*negent) quia cum cathedra Petri conuenit. Hactenùs ego illic; nuſquam dico, quod iſte finxit*, fidem illam Petri, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, eſſe doctrinã, quam profeſſus eſt Petrus, *ne diceret Sadeel, doctrinam Euangelicam, quam profitentur confeſſioniſtæ, vt ipſi falsò putant, eſſe doctrinam, quam Petrus profeſſus eſt; Ac proinde Eccleſiam proteſtantium ædificatam eſſe ſuper eam. Quis ignorat antecedere reuelationem verbi Dei, diuinæquè doctrinæ, & ſequi fidem, ſicut ſcriptum eſt, fides ex auditu eſt; auditus autem per verbum Dei; vellet Sadeel fidem & confeſſionem fidei, atq; Euangelicæ doctrinæ cum Petro coniunctæ, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, ſeparare à Petro & ſucceſſore eius, & id fingit à me concedi. Sed non ita eſt, non ſeparamus, quia Dominus dixit, ſuper hanc Petram (Petrum autem indicauit) ædificabo Eccleſiam meam. Rurſus pag. 99. à Sadeele notata ſic ſcripſi, ſed nos loquimur de chariſmate fundandi & firmãdi fideles in vnitate fidei & Eccleſiæ, quod eſt Petro datum, cuius fides certos reddit fideles de ſua fide, ſi collata cum fide, quam prædicat, & docet cathedra Petri, conſentiens reperitur. Petrum enim poſuit Chriſtus ſecundùm Euangelium ſuum, vt eſſet regula & norma fidei orthodoxæ, ac pinde Euãgelicæ doctrinæ: Fides enim eſt verbi Dei, id eſt, doctrinæ à Deo reuelatæ, item Eccleſiã eſſe ædificatam ſuper Petrum, contrà, Petrum eſſe ſuper Eccleſiam, & Eccleſiam eſſe ſub Petro. Hæc eſt tertia fictio contradictionis:* quod ſcripſerimp. 117. At Petrus non eſt ſecundùm ſcripturam caput anguli in ædificio Eccleſiæ, ſed caput, ſuper quod tãquam ſuper petrã, virtute illius lapidis angularis, id eſt, capitis anguli, ſurgit ædificiũ & fabrica Eccleſiæ, quæ ſub eo eſt. *Conſiderare debebat Sadeel, aliam eſſe rationem capitis, aliam fundamenti, quatenus firmat Eccleſiam, & Eccleſiæ fidẽ, Petrus rationem ſubit fundamenti: Fundamenti enim eſt firmare ædificium; quatenus verò regit Eccleſiam, & ei præeſt Petrus, & ſucceſſor eius, caput quoddam eſt capiti humano analogum, ſub quo eſt corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, cuius caput virtutis propriæ, ex quo totum corpus*

Tertia contradictio ficta.

*pus connexum & compactum crescit, Christus est, ita fit, vt non sit contradictio, vt Sadeel fingit, esse Ecclesiam ædificatam super Petrũ, tanquam super fundamentum virtutis à Christo communicatæ cum Petro, & esse caput Ecclesiæ, & Ecclesiam sub eo, quatenus eam regit, & ei præest, vt caput reliquis membris. Discat igitur Sadeel ex suis elenchis Aristotelicis esse Ecclesiã super Petrum, scilicet, tanquàm super fundamentum; & non esse super Petrum, scilicet, tanquam super caput, none sse ἀντίφασιν; id est contradictionem, quia non sunt affirmatio & negatio de eodem, & secundùm idem &c. Quarta contradictio à Sadeele ficta;* item apostolos non fuisse à Petro vocandos, neque confirmandos in suo munere. *Sic ego scripsi meis verbis: Petrus neque vocauit, neque instituit, neque confirmauit Apostolos in munere Apostolico, sed Christus, qui ἀμέσως id est, nullo intermedio hæc tria fecit, qui eis primitias Spiritus dedit, pag. 184. Rursus scripsi pag. 17. in Petro fuisse auctoritatem approbandi prædicationem Pauli; nulla hic contradictio est, vt fingit Sadeel. Legat C. V. paginam 81. vbi sic scripsi, quamuis Paulus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem vocatus esset, vt fieret apostolus, & licet Euãgelium, quod prædicabat à Christo accepisset, tamẽ quia sciebat sic in euangelio sibi reuelato, sancitum esse à Christo, vt Cephas, id est Petrus, sic à petra dictus, os Apostolorũ esset, & totius Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, idcircò ascendit Paulus cum Barnaba Hierosolymam ad os Apostolorum & Ecclesiæ, qui erat Petrus, vt cum eo conferret Euangelij prædicationem, & auctoritatem prædicationis suæ apud omnes ex ore Petri adiungeret, ne fortè in vanum curreret, aut cucurrisset, si ordinem à Christo in Euangelio sibi reuelato cõstitutum non seruaret. quamuis Petrus nihil scientiæ ei contulisset. Omitto reliqua, quæ sequuntur eodem pertinentia. Petrus igitur, vt non vocauit nec instituit Paulum in Apostolatu, ita neque firmauit Paulum in numero Apostolico, nihilominus tamen secundùm ordinẽ à Christo in Euangelio sancitum, prædicationi eius auctoritatem apud omnes, tanquã*

Quarta contradictio ficta.

Quinta contradictio ficta.

*os Apoſtolorum approbatione ſua adiunxit. Quinta fictio contradictionis*, item electorũ Eccleſiam eſſe inuiſibilem *p. 156.* & electorum Eccleſiam eſſe viſibilem, *ſic ego ſcripſi: quod verò ais, proprium eſſe Eccleſiæ electorum non poſſe à porcis inferi ſuperari, & fateri me Eccleſiam electorum inuiſibilem eſſe; eſt quidem inuiſibilis ſecundùm electionem æternam, quam ſolus Deus videt, & cui voluerit reuelare. viſibilis tamen eſt, ſecundùm communionem Sacramentorum, in qua neceſſe eſt permanere, & ſecundùm eam cum aliis etiam miſceri, & quæ ſequuntur. Roget C. V. Sadeelem, an ſecũdùm Ariſt. ſit cõtradictio, ſecundùm aliud eſſe inuiſibilem Eccleſiam,*

Sexta contradictio ficta.

*& ſecundùm aliud non eſſe inuiſibilem: & videbit eum ſudare aut pallere. Sexta contradictio à Sadeele ficta per ſomnium eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe vnum corpus viſibile, licet eius partes non ſint in vno loco congregatæ. Contrà, formam vnius Eccleſiæ Catholicæ eſſe, vt eſt Ba, ſyllaba, non autem vt B & A, literæ ſeparatæ. Somniauit hìc Sadeel duo me dixiſſe, cùm potiùs vnum re dixerim, affirmando, licet non eiſdem verbis. In contradictione verò neceſſe eſt, idem de eodem affirmari & negari, cum reliquis ad contradictionem neceſſariis. idem, inquam, eſt dicere Eccleſiam Catholicam eſſe vnum corpus viſibile, licet partes non ſint in vno loco congregatæ, & dicere, formam vnius Eccleſiæ Catholicæ eſſe, vt eſt BA, Syllaba, & non B, A, literis ſeparatis; Hoc enim exemplum de BA. ſyllaba, & B, A, literis ſeparatis, adhibitum fuit à me ad explanandum, quomodo Eccleſia Catholica eſſet vnum corpus viſibile, cuius partes non eſſent in vno loco congregatæ, nempe propter formam ordinis & rationem vinculi, quæ conſideratur in vno toto, quod conſtat ex partibus ſuis, & ab illis non re, ſed ratione tantùm differt, ſicut BA, differt à B, A, literis ſeparatis, ex quibus tanquam materia conſtat ſyllaba, ratione tantùm, propter formam ordinis & coniunctionis. Ego iſta ita dilucidè & explanatè ſcripſi, in pagina ab iſto notata, vt mirer & quidem vehementer, quòd exiſtimauerit Sadeel reperiſſe cauillationem, cùm non repererit; quia, qui rem dicit, & exemplum rei ponit, non*

*affirmat*

*affirmat & negat, quod in contradictione necesse est. Repetam locum, vt C. V. iudicet: vnum sunt, quæ vinculo quopiam continentur, vt fascis; sic omnes Episcopatus, cùm in vnum cohærent, vnus Episcopatus indiuisus sunt, qui ex suis partibus compositus est: totum autem re quidem non differt à partibus suis, sicut non differt re, syllaba à literis, ex quibus composita est; differt tamen ratione: alia enim est forma BA, & alia B, A. BA, enim est forma coniuncta cum materia, quæ materia est B, A: Sic alia ratio, & forma est, vnius Ecclesiæ Catholicæ, siue vnius Episcopatus indiuisi, & alia singularum Ecclesiarum, siue singulorum Episcopatuum, ex quibus tanquam ex materia vnus Episcopatus componitur. & quæ sequuntur, ne omnia repetam.*

*Septima contradictio item ficta.* Septima contradictio ficta.

*Ait* me negare vllos esse in Ecclesia successores Apostolorum; *contrà, alio in loco me, inquit Sadeel, reprehendit,* quòd cum ordinariis Pastoribus, faciam etiam Laicos, (*vt loquitur*) Apostolorum successores. *Probaui auctoritate scripturæ, scilicet Episcopos esse Apostolorum successores, in ordine & officio Episcoporum: Apostoli enim Episcopi fuerunt. huiusmodi successores Episcopos, qui sunt successores Apostolorum simpliciter, quatenus fuerunt Episcopi, dixi & dico negare Sadeelem, quia ipse neq. habet Episcopos, neq. differre eas à Presbyteris putat, cum Aërio hæretico olim damnato, & nunc in Sadeele suscitato. Si ego in aliquo alio loco libri mei dixissem, Sadeelem non negare Apostolorum successores, contradixissem mihi; sed nunquam dixi, neque dicere potui, nisi mentiri voluissem, quia semper negat, habere nos successores Apostolorum. Quod verò in alio loco reprehendo Sadeelem, quòd cum ordinariis pastoribus faciat etiam laicos Apostolorum successores. credo existimauit concedi à me suos, quos vocat ordinarios Pastores, esse successores Apostolorum, quod nunquam concessi: immò contendo, & per scripturas demonstro, etsi Sadeel negat, esse meros Laicos. Sed cùm ordinarij Pastores, quos Sadeel dicit, ordinationem habeant, vt ipse putat, profectam tanquàm ex radice à Martino Luthero Presbytero, &*

*eiusmodi*

*eiuſmodi ordinationem, etſi nulla eſt, tamen non tucantur habere laici. Reprehendebam hoc* ἀσύμβατον, *id eſt, hanc incohærentiam: quærebam enim, quomodo ſucceſſores Apoſtolorum faceret cum ordinarijs Paſtoribus etiam laicos, id eſt, fideles, qui Apoſtolicam doctrinam retinent? Vos enim, aiebam, non credo, dicitis habere laicos ſacerdotium ex ordinatione ſine impoſitione manuum, ſicut ordinarios Paſtores. quomodo igitur vtrique ſunt ſucceſſores Apoſtolorum? hæc ego. Accuſat me hîc,* quòd prætermiſerim κάτά τι, & falſarium *vocat. Ego non prætermiſi, vt in libro meo perſpici poteſt. Sic enim ſcripſi in illa pag. 166. quam Sadeel notauit in margine. Primùm igitur dicis, cùm affirmo de ſucceſſoribus Apoſtolorum, peccare me* παρὰ τὸ ἁπλῶς κατά τι λεγόμενον. *Non igitur ſum ego falſarius, ſed Sadeel eſt* μυθόλογος, *id eſt fabulator iam ca. 5. Ad illud, quod de miraculis, quæ in noſtra Eccleſia in virtute Chriſti, & in virtute Euangelij eius prædicamus, fiunt, ita cauillando reſpondet, vt cauillatio riſum omnibus moueat, & Sadeelem in nouam impietatem & hæreſim impegerit, locos ſcripturæ, quos produxi, vt C. V. miniſtris ſuis obiiceret, ſi quando hoc genus miraculi eiiciendi demones contemnerent, diſſimulat miſer Sadeel, qui ſemper reſonat verbum Dei, ſed nihil minùs facit, quàm vt verbum Dei producat, conuerſus totus in vaniloquium, ſicut Apoſt. de aliis ſimilibus ait, & ad cauillationes nugatorias, & quandoq; impias, & ſceleratas, vt hîc. Relegat C. V. locum epiſtolæ meæ in pagina ante extremam, quæ incipit. Sed cùm C. V. audierit miniſtros ſuos, hoc genus miraculi eijciendi dæmones, aut contemnere, aut extenuare, vt eorum ſermonem impium retundat, obijciat eis; & quæ ſequuntur. Perlegat totum locum; vt intelligat & iudicet quàm impiè, & contra verbum Dei, quod miſer iactat, cauillatus ſit Sadeel, cùm ait;* (*recitabo eum*) hoc tantùm addamus, Turrianum rem ipſam non recta via reputare, qui neget à noſtris Eccleſiis expelli dæmones. quãdoquidem ſatis conſtat in Germania, Heluetia, Anglia, & multis aliis in regnis ac prouinciis, ſimul atque pura Euangenij

Quàm impiè, & contra verbum Dei reſpondeat Sadeel ad id, quod de miraculo frequenti eijciendi dæmonia, in Eccleſia noſtra, ei obiectum à me eſt.

gelij prædicatio, hisce postremis temporibus exorta est, innumerabiles Franciscanorum, Dominicanorum, Benedictinorum, Carmelitarum (nondum nati erant cacodæmones isti Iesuitæ) & reliquorum Monachorum, hoc est, immundorum spirituũ cateruas, ab Ecclesiis reformatis procul eiectas fuisse: *Immundos spiritus vocat omnes Monachos, quorum expulsionem parem, & similem facit expulsioni dæmonum. Quæ est noua impietas & noua hæresis, vt paulò pòst docebo. Sed qui omnes controuersias ad verbum Dei reuocãdas esse dicit, quo verbo Dei per Apostolos tradito, aut qua scriptura hoc, quod dicit, probat? ne sit sicut ille Parmenianus Augustini, quod centies obieci ei, & obijciendum est millies, donec deponat personam Parmeniani, cui Aug. sæpè hoc obijcit: Dicis & non probas, quia tu, inquit, dicenti tantùm credidisti: Aut si scripturam non habet Sadeel ad probandum, eijciendos fuisse Monachos, producat Ecclesiasticam traditionem ab Apostolis profectam: inducat in iudicium testes Apostolicæ traditionis, antiquos Patres & Scriptores, instruat argumenta. Aut si omnia eum deficiunt, quid excusabit, cùm erit ante tribunal Christi; & ei dicetur, Quare odio & stylo armatus, Monachos insectatus es, & ex Ecclesiis eiectos esse gloriatus es? Videt hîc C.V. non potuisse Sadeelem reperire cauillationem vllam ad negandum, quod in conspectu omnium, quotidiè in Ecclesiis nostris fit, vt expellantur dæmonia in virtute Christi, & Euãgelij eius, quod prædicamus. Videt etiam concedere, hoc genus dæmoniorum non eijci in Ecclesiis reformatis; sed aliud genus dæmonum, quod ipse Sadeel creat, vnde cogitur etiam concedere id, quod ex simili argumentatione Christi confeci. Dominus enim in Euãgelio Matth. aiebat, Si ego in spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit ad vos regnum Dei. Similiter docuit nos argumentari; Si nos in nomine Christi, quẽ prædicamus, & virtute Euangelij eius, quod nobis traditum est, & profitemur, eijcimus dæmones, igitur peruenit ad nos regnũ Dei, id est, cœlestis doctrina Euãgelij Christi. Cõtrà verò, si in Ecclesiis Germaniæ aut Heluetiæ, vel*

Quomodo simili argumentatione, qua Christus vius est, conficitur Euangelium Lutheri non esse verum Euangelium.

*Angliæ Lutheranis aut Caluinianis in nomine Christi, quem Lutherani aut Zuingliani prædicant, & in virtute Euangelij, quod Lutherus aut Caluinus eis tradidit, non eiiciuntur dæmones, igitur non peruenit ad eas Ecclesias in doctrina Lutheri regnum Dei, id est, doctrina Christi, sed doctrina Sathanæ, qui non eiicit Sathanam, alioquin regnum eius non staret. Quod autem ait Sadeel*, expelli dæmones in Ecclesiis reformatis, quia electi sint omnes Monachi ex eis. *Noua impietas, & noua hæresis, vt dixi, est: Negat enim miraculum esse, eiici dæmones incorporeos ex hominibus: quod quidem sola virtute & potestate Dei fit, dùm par facit eiicere Monachos, quos potestas humana Magistratus vel Principis, vel populorum per vim eiecit. Quòd si non facit par, defecit eum cauillatio, & dat manus. Quòd si dicat Sadeel, nihil enim quamlibet absurdum & blasphemum verebitur, ne se victum esse fateatur, si, inquam, dicet electos esse Monachos spiritus immundos, quos vocat, in digito Dei, facit igitur Deos, eos, qui eiecerunt, nõ dico Deos participatè, sicut scriptum est, ego dixi, Dij estis. Sed natura, sicut Dominus Iesus Deum se natura probabat, cùm dæmonem tanquam creaturam suam eiiciebat ex humanis corporibus. Dicat Sadeel C. V. erantnè Monachi illi electi, propriæ creaturæ eorum, qui eos eiecerunt? Erantnè illi consubstantiales Deo Patri, sicut digitus est consubstantialis brachio, cuius digitus est? Hoc enim necesse est, si eos in digito Dei, tanquàm Domini eiecerunt. Quod si non eiecerunt tanquam domini, quare alienos seruos, qui domino suo stabant aut cadebant, iudicauerunt? quis eos fecit iudices? Necesse est, vt respondeant nullus, aut Martinus Lutherus Propheta & Apostolus Germaniæ. De Monachis verò, vtrùm iustè electi sint, de quo Sadeel gloriatur, quãdoquidem omnes controuersias ad verbum Dei reuocandas esse dicit, qua scriptura, probat hoc, quod dicit factum esse, fieri debuisse, ne sit semper sicut Parmenianus Augustini? aut si scripturam non habet Sadeel ad probandũ eiiciẽdos fuisse, producat Ecclesiasticã traditionẽ ab Apostolis profectam; & inducat in iudiciũ testes Apostolicæ traditio-*

traditionis antiquos Patres & Scriptores: instruat inde argumenta, aut si omnia eum deficiunt, quid excusabit, cùm erit ante tribunal Christi, & ei dicetur, quare odio & stylo armatus, Monachos insectatus es, & ex Ecclesiis electos esse gloriatus es? Sed quia, etsi electi olim fuerint, cùm Martinus Lutherus fidei Germanorum dominari cœpit, quamaior Tyrannis excogitari non potest, electi, inquam, neque iubente C. V. neque conniuente, aut libente; tamen, quia nunc Dominus es, & Clemẽtissimus, ad C. V. pertinet, quod dominus dixit in Euãgelio, quod iustum est, iudicate, & iterum, quod in mea Epist. decies repetiui, & vellem centies, vt quid ex vobis ipsis, quod iustum est, non iudicatis? Dominus enim ait, in Euang. Matth. omnia quæcũque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. Et rursus c. 22. Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximũ & primum mãdatum: Secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum; in his duobus mandatis vniuersa lex pẽdet & Prophetæ. Ex his duob. locis inter se collatis intelligi potest, qd sit ex nobismetipsis, quod iustum est, iudicare; est enim omnibus natura anticipatum hoc præceptum. Quæcunq; vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis, pertinetq; hoc ad charitatem spiritualem erga Deum & homines, neque nouum præceptum est, sed in lege & Prophetis constitutum, vtpote naturæ insitum, quod quidem, qui violauerit, luet pœnas, non solùm præcepti Euangelici violati, sed legis & Prophetarum, & naturæ. De hoc ait beatus Iacobus in Epist. sua Canonica, habetis ἔμφυτον λόγον, id est, insitum verbum, quod potest saluare animas vestras, vt intelligamus, non posse saluare animam suam, qui hoc verbum neglexerit: neque de alia lege, sine præcepto vllo, non seruato, magis in die iudicij conscientia accusabit, quàm de hoc. vnde Apostolus in Epist. ad Rom. de Gentibus, quibus non data erat alia lex, quàm naturæ, quæ illis tunc ad salutem sufficeret, si seruaretur, aut ad damnationem, si non seruaretur. Cùm enim, inquit, Gentes, quæ legem non habent,

Quomodo, & qua ratione, & auctoritate scripturæ ad Illustrissimum Landgrauium pertineat scire, an iustè electi fuerint ex ditione sua Monachi.

Quid sit, ex nobis ipsis quod iustum est iudicare.

*naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum. Cùm autem hæc lex naturæ in Euangelio non ſublata, ſed confirmata ſit, & perfectiùs renouata, magis accuſabit conſcientia in die iudicij, huius præcepti non ſeruati reos. Quid igitur conſcientia C. V. in die illa iræ & pertimeſcendi iudicij excuſabit, cùm tot Monachorum querelæ & clamores audientur? cùm tot Monaſteria direpta, vaſtata, profana facta obiicientur: fortaſſe dicet C. V. nõ vt in Doctoribus Eccleſiæ, ſed vt in Doctoribus Lutheranis legitur,* ideo iuſtè electos eſſe Monachos, quia Monachorum vota, vincula ſint, quæ homines peccare cogant, quia ſint de re impoſſibili pleriſque, & cum mandato Dei pugnent, Nõ mœchaberis, ac proinde iram Dei irritent; *Sic enim ſcripſit Philipp. in reſponſione ad art. Bauar. inquiſit. art. 27. At Philippum & eos, qui cum eo ſentiunt, condemnat Apoſt. Paul. qui in Epiſt. ad Tim. c. 5. viduas illas adoleſcentiores damnationem habere dicit; quia, vt nuberent, primam fidem negauerunt, id eſt, quia promiſſionem caſtitatis, quam, priusquàm nuberent, fecerunt, non ſeruauerunt. Sic interpretatur Apoſt. Doct. à Clemente Rom. ſcripta lib. 3. c. 1. Quam enim Paulus vocauit fidem in Epiſt. ad Timoth. vocat hîc Apoſt. doctrina promiſſionem, contrà interpretationem falſam, eorum, qui illam primam fidem interpretantur,* fidem, quæ vocem Euangelij amplectitur, & veri Dei inuocationem accendit: *ſic enim ait idem Philipp. in eodem art. cum doct. Apoſtolica, & cum veritate pugnans. Vult igitur Apoſtolus, vt ſeruetur Deo promiſſio caſtitatis, ſiquidem, qui non ſeruat, damnationem habet; non ſeruant autem eiuſmodi viduæ adoleſcentiores, de quibus Paulus loquitur, promiſſionem caſtitatis, non quia non poſſint: ſed quia, vt ait Apoſtolica doctrina in eodem loco, non veniunt cum fide & metu Dei,*

Quomodo dicere Monachorum vota vincula eſſe, quæ homines peccare cogant cum ſcriptura pugnet.

Locus Apoſt. in Epiſt. ad Tim. de Viduis adoleſcentioribus, quæ primam fidem negauerunt.

*Dei, ad seruãdam promissionem. Igitur quicunq; Deum timet, & postulat in fide, sicut præcipit beatus Iacobus, gratiam ad resistendum carni, & ad seruandum votum factum: Dominus, qui dat votum vouenti, vt est in cantico Annæ, dat eidem vires ad seruandum illud. is autem postulat in fide, vt beatus Chrysost. in Ep. ad Monachos interpretatur, qui postulat perseueranter, & non arguitur à conscientia sua, quod postulet ἀμελῶς καὶ ῥᾳθύμως, id est, negligenter & pigrè. Denig; redarguit Apost. doctrina, quod idem Philippus ibidem tradit. Sic enim ait:* Paulus dicit, vitandę fornicationis caussa, vnusquisque habeat vxorem suam, *deinde subiungit;* hoc præceptum neque Pontificiis legibus, neque votis monasticis tolli potest: *at Apostolica doctrina, & constitutio loci Pauli interpres, promissionem castitatis, quam Apostolus vocat fidem, seruari vult, & non esse locum coniugij; si illa anteceßit. Propheta enim ait: vouete & reddite Deo; & Eccleßiastes, si quid, inquit, vouisti, ne moreris reddere. Ac rursus eadem doctrina & constitutio Apostolica, paulò post, c. 3: Verè autem, inquit, viduæ sunt, quæ vni nupserunt, quibus plures testimonium præbent honestarum actionum, reuerà viduæ temperantes, pudicæ, fideles, religioßæ, quæ liberos honestè educarunt, quæ hospites laudabiliter exceperunt, quibus opitulari oportet, tanquam Deo, dedicatis. Testimonium ergo est Apostolicæ doctrinæ, & constitutionis, pium & sanctũ esse, dedicare se Deo, vouẽdo ei castitatẽ. debereq; Episcopũ eiusmodi viduarum, quæ se Deo dedicauerunt, curã habere vt Dei dispensatorẽ. Quod si pium & sanctũ est, dedicando se Deo promittere ei castitatẽ, multò magis pium & apud Deũ laudabile erit, dedicando se totum Deo, promittere ei facto voto, castitatẽ, paupertatem & obedientiam: quæ sunt vota Monachorum; quibus rectè seruandis mundus est Monacho crucifixus, sicut Apost. de se dixit, & Monachus mundo. Quia vero Illyricus in defens. confeßionis Antuerpienßis c. 19. de cælibatu contra Tiletanum ait,* nullam scripturam citari posse de cœlibatu; nam quod dicit, *inquit,*

p. Reg. c. 2. apud LXX.

Quid sit postulare in fide.

Testimonium Apostolicæ doctrinæ & constitutionis, pium & sanctum esse dedicare Deo castitatem.

Paulus, de Viduis iunioribus, 1. Tim. 5. nullo planè verbo fit ibi voti mentio. *Ignorauit Illyricus naturam rei, & vim verbi: nihil enim aliud eſt votum, quàm fides Deo promiſſa. Teſtis eſt Apoſtolica doctrina & conſtitutio, quæ ſicut lib. 3. de Viduis promiſſionẽ vocauit, quam vocauit Apoſtolus fidem: Sic lib. 4. c. 13. illam ipſam promiſſionem caſtitatis, ſiue fidẽ vocat votum; Sic enim ait: De virginitate verò mandatum non accepimus, quare hanc rem poteſtati voluntatis permittimus tanquam votum. Ecce vouere & non vouere liberum facit; quod magis adhuc declarat, cùm ſubiungit. Illud modò monemus, ne quid facilè & leuiter promittatur, ſiquidem Salomon ait, melius eſſe, non feciſſe votum, quàm factum non reddere. Fides igitur in Epiſt. Pauli ad Timotheum promiſſionem & votum ſignificat, Apoſtolica conſtitutione interprete. Sicut enim promiſſio caſtitatis in virgine dicitur votum, ſic in viduis dicetur. Aliam etiam cauſam legit C. V. in Doctoribus Confeſſioniſtis, cur ex Eccleſiis reformatis iuſtè eiecti ſint Monachi, quod Sadeel gloriatur,* tanquam ocioſum genus hominum, in quod conueniat, quę Apoſt. in 2. Ep. ad Theſſ. ſcripſit, in illos inquietè ambulantes, nihil operãtes, & curioſè agentes. *Eos verò, qui ocioſum genus hominum Monachos faciunt, & cum illis, quos Apoſt. reprehendit, comparat; accuſat & condemnat Apoſt. Paulus, qui in 2. Cor. c. 8. hortans ad dandum eis, qui non habent, docet, non eſſe ocium orare, nec ocioſos eos, qui orant, nec accipere tantùm ab ijs, qui eis dant, ſed dare etiam illisipſis à quibus accipiunt, tanquam ementes accepta. Non enim, inquit, vt aliis, ſcilicet accipientibus ſit remiſſio, id eſt, ocium: vobis autem ſcilicet dantibus ſit tribulatio: Sed ex æqualitate in præſenti tempore veſtra abundantia illorum ſuppleat inopiam; vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas. Et Apoſtolica doctrina. li. 4. Clemẽtis Romani c. 2. quaſi interpres Epiſtolæ Pauli, de eo, cui neceſſe eſt, accipere, quia non habet aliunde; neque habet, vnde ſoluat, niſi precando pro eo, qui dat: habitus enim, inquit, à Deo inſtar altaris, in quo precationes tãquam victimæ*

Votum nihil aliud eſſe, quàm fidem Deo promiſſam.

Quomodo, qui aiunt eſſe, Monachos genus hominum otioſum, & ideo iuſtè eiici, ſcripturæ ſanctæ repugnet.

*victimæ Deo offeruntur, afficitur honore ab eo, si impigrè pro eis, qui ei dant, assiduè deprecatur. Sic enim fit, ne ociosè accipiat, imò precando mercedem dati muneris, quantum in se est, tribuit: Hîc igitur in æterna vita fiet à Deo beatus. Hactenùs Apostolica doctrina. Non igitur propter ocium ejecti sunt Monachi, quorum studium & institutum est precandi in choro, & extra chorum, die ac nocte, semper pro omnibus.*

## CAPVT SEXTVM.

Quomodo præbetur per scripturam, ad cultū Dei pertinere non sine verbo Dei, fieri Monachum contra Confessionistas.

ALII *fortasse dicent, secundùm doctrinam Cõfessionistarum, iustè ejectos esse Monachos*, quia omnes voluntarij cultus, sine verbo Dei, odiosi sint Deo. imò, *quod Centuriatores Lutherum secuti addiderũt*, ad Idololatriã pertineant; *Hoc etiã alijs verbis tradere solent Confessionistæ*, non esse recipienda adiaphora, cum opinione cultus. *Sed age quæramus paulisper Illustrissime Princeps, ex Euãgelio ipso, vt alias scripturas nũc omittam, an ita sit. Cùm Dominus dixit illi adolescenti, si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me; Non iussit, vt iret & relinqueret omnia vendendo ea, & dando pauperibus; Sed si vis, inquit, perfectus esse. &c. Integrum itaque reliquit & liberum voluntati eius, vt si vellet perfectus esse, relinqueret omnia, quæ habebat: Sin minùs, non relinqueret. Relinquere ergò omnia sponte, etiam Domino non iubente, ad cultum Dei pertinebat, & ei non odiosum, sed gratum & acceptum erat. Nostram enim perfectionem gratam habet Deus, & ad cultum suum, & honorem refert. Quod autem ait Caluinus, in suis impiis & hæreticis institutionibus c. 4. de votis*, perperam à nobis accipi de perfectiori viuendi regula, quod Dominus dixit adolescenti, Si vis perfectus esse, vade, &c. *Quod ex eo probat, quod Apostolus ait, & si distribuerit quis omnia pauperibus, & charitatem non habet, nihil esse eum.* Vnde quod, *inquit*, diuiti auaro Christus iubet relinquere omnia, quæ habet, perinde est, ac si ambitioso omni-

so omnibus honoribus, voluptario omnibus deliciis, impudico omnibus libidinis instrumentis renunciare iuberet. *Postremo loco*, fateri se ait, fuisse hunc locum à quibusdam Patribus malè intellectum, atque hinc natam esse voluntariæ paupertatis affectationem. *At hoc Apostolis, quorum doctrina à Clemente Rom. eorum discipulo scripta est, obijci ab istis non poterit, quasi malè intellexerint, quod Dominus adolescenti illi dixit: negabunt potiùs Apostolorum doctrinam esse, quam Clemẽs eorum nomine scripsit; hoc enim perfugium negandi omnia, ad quæ respondere non possunt, isti sibi reliquerunt. Apostolica igitur doctrina lib. 5. c. 1. explanat, quo modo intelligendum sit hoc consilium Domini de perfectione relinquendi omnia, scilicet post obseruationem spiritualem mandatorum Dei, sic enim ait: Etenim si is, qui bona sua egentibus largitur, perfectus esse potest, post cognitionem de diuinis, erit profectò multò perfectior, qui pro redimendis martyribus hoc fecerit. Tunc igitur largiri bona sua pauperibus ad perfectionem vitæ pertinet, cùm accedit hoc tanquam corollarium, ad impletionem mandatorum Dei, Deo placentem, id est, ad charitatem, quæ est plenitudo legis, sicut illi adolescenti postquàm dixerat, Hæc omnia seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest; tunc ait illi Iesus, si vis perfectus esse, vade, vẽde omnia &c. quod perinde est, quasi diceret, si post impletionem mandatorum Dei, vis adhuc perfectus esse, vade, vẽde omnia, &c. Cognitionẽ ergò de diuinis scilicet præceptis, vocat illic Apost. doctrina non illã, quæ in cognitione solũ & contẽplatione versatur, sed quæ in actione; hoc enim significat frequenter in scriptura γνῶσις vt Clemens quoque Alex. libro. 2. Strom. notauit, γνῶσις inquit, est ἐπιστήμη σύμφωνος τοῖς γινομένοις id est scientia, siue cognitio factis consentiens & consonans, Sic accepit beatus Petrus 2. Epist. c. 1. cùm ait, Subministrate in virtute, πλὴν γνῶσιν, id est, scientiam siue cognitionem. Non enim satis est, facere mandatum Domini, nisi fiat vt ei placet; tunc enim mandatum Dei fit cum scientia & cognitione, estque operatio virtutis spiritualis. Illud etiam est obseruandum,*

Quomodo redarguatur Caluinus, qui dicit malè intellexisse Patres, ad perfectionem pertinere, quod Dominus dixit, Si vis perfectus esse &c.

Quando & quo modo ad perfectionem pertineat consilium, quod dedit Dominus adolescẽti, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.

*uandum, quemadmodum eum, qui post impletionem mandatorum Dei, bona quæ habet, dat pauperibus, & sequitur Dominum, cum eo comparat, qui præsto est ad Martyrium subeundum, ponitque eum in proximo gradu. Qui enim illis tẽporibus ibat ad carceres, vt suppeditaret Martyribus necessaria ad victum, & vt bonis suis liberaret à vinculis, si posset, ad quod Apostolica doctrina ibidem hortatur, exponebat sẽ periculo, præbebatque se paratum ad Martyrium. De his enim ait, illi quidem (Martyres dicit) reipsa Martyrium subierunt: vos verò aliter, nempe voluntate prompta, tanquàm facti socij certaminis illorum, eos dicit, qui pro alendis Martyribus in carceribus & redimendis, bona sua largiebantur. De his scripsit Apost. in Ep. ad Hebr. c. 10. In altero autem socij taliter conuersantium effecti, nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes habere vos meliorem substantiam. In primo igitur gradu, ponit Apost. doctrina Martyres; In proximo eos, qui contempto periculo ad carceres Martyrum ibant, vt eos bonis suis alerẽt, & si possent, redimerẽt: In tertio eos, qui post impletamandata, vt perfecti sint, sicut dixit Dominus illi adolescenti, bona sua exemplo Apostolorum relinquunt, & Christum sequuntur. Hi enim ab illis vinculis peccatorum se liberant, in quæ incidunt, qui cupiunt diuites esse: Incidunt enim, sicut Apostolus ait, in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Idem dixerat paulò antè, habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Quàm verò difficilè sit, bona externa relinquere, in illo adolescente expressum est: Qui cùm audisset verbum, abiit, inquit, tristis; erat enim habens multas possessiones. Idcirco Dominus non iubet relinquere, sed inuitat ad relinquendum, & consilium dat, vt relinquat, si quis velit, vt habeat thesaurum in cœlis, sicut illi adolescẽti promisit: quomodo ergo relinquere omnia, & sequi Christum, odiosum esse potest Deo; si ad hoc Christus hortatur, & pro bonis terræ relictis, thesaurũ in cœlis promittit? Neq; cultus voluntarius adhibetur hîc*

Quomodo Apostolica constitutio Monachum comparat cum eo, qui præsto est ad Martyrium.

In primo gradu Martyres; In proximo, qui contempto periculo mortis ad carceres Martyrum adibant, vt eos visitarent, & adiuuarent; In tertio, qui post impleta mandata, relictis bonis suis, Dominum sequuntur, quod Monachi faciunt.

*Deo ſine verbo, vbi verbum conſilij eſt. Non enim cadit præceptum in ardua, ſed conſilium. Denique quàm excellens opus ſit, & quàm arduum relinquere omnia bona terrena & caduca, & ad Martyrium, quo nihil eſt Deo magis acceptum, quanta præparatio ſit in nihil habendo, ex vno potiſſimum loco Euangelij intelliget C. V. vbi Dominus, cùm mors inſtaret, velletq; diſcipulos exemplo ſuo ad Martyrium præparare, admonuit eos, de inſtituto Apoſtolico, iam à principio ſuſcepto, & benè ſeruato, nihil proprium habendi, quæ à Græcis dicitur, ἀντλημοσύνη nos iam trito vocabulo paupertatem vocamus. Hoc inſtitutum Apoſtolicæ & Monaſticæ paupertatis, qui benè & fideliter cuſtodiunt, id eſt, qui corporis alimento, & tegumento ad neceſſitatem naturæ contenti eſſe volunt, relictis licet in ſæculo amplis patrimoniis & poſſeſſionibus, quod quotidiè fieri apud nos videmus; nec enim, & ſi quæ ſunt opulenta Monaſteria, plùs ex communi vnicuiq; datur, quàm quod neceſſarium eſt, ne quid hîc Sadeel. Actemo-ſymachos & Monachomachos cauilletur, hi, inquam, præſto ſunt, ſi tempus poſtulet ad ſubeundum omnem miſeriam & exilium, exagitationem ac etiam mortem, pro pietate in Deum tuenda. Multi hodiè in Germania teſtes eſſe poſſunt, quàm innumerabiles Monachi, fugam in perſecutione elegerunt, potiùs quàm nouam fidem, immò multorum Monachorum Martyrum ſanguis, in Gallia & Anglia, neſcio, an in Germania quoq;, clamat ad Deum de terra, aduersùs nouos Cainos, qui conſurrexerunt aduersùs fratres ſuos. Qui verò non tota mente, & cum timore Dei, paupertatem promiſſam Deo, & caſtitatem ſeruabant, facilè fuit, eos non ſolùm à religionis voto, ſed à fide vetere labi & excidere. Ex horum numero fuerunt præcipui Magiſtri Lutherani, & Lutherus ipſe, Auguſtinianus Apoſtata, Cõradus Pellicanus, Apoſtata Minorita, Martinus Bucerus Apoſtata Dominicanus, Oecolampadius Apoſtata Brigittanus. Cõſideret ergo C. V. & ne audiat Sadeelem, qui gloriatur de cateruis Monachorum eiectis, vt ſit de numero eorum, qui, ſicut ait Sal. in prouerb. exultant in rebus peſſimis: Conſideret, inquam, ſi Dominus iam iam ad*

Præcipui Magiſtri Lutherani Monachi Apoſtati.

*crucem*

crucem iturus discipulos & Apostolos suos de instituto paupertatis ex voluntate susceptо admonuit, quia nihil sit, quod magis à sollicitudine huius sæculi & vitæ humanæ liberet, & magis expeditos, & paratos ad moriendum pro Christo & fide eius reddat, quàm nihil proprium possidere, Quomodo relinquere omnia sponte sua, secundùm consilium Domini, & sequi eum poterat, non pertinere ad cultum Dei, & quidem ei gratissimum? Siquidem nihil est, quod similiores discipulos Christo Magistro efficiat, quàm ferre crucem, & sequi eum: Ipse enim dixit in Euang. qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus. Hîc fortasse dicturus est sanctissimus aliquis Sadeel, fuisse Monachos illos ex Germania, Helvetia, & Anglia, turpis vitæ, qui reliquerant quidem omnia, sed non sequebantur dominum, sed potiùs ventrem & ocium. Itanè in innumerabilibus cateruis Monachorum, quas Sadeel dicit eiectas esse, non reperiebantur centum non tales, id est, probi & sancti? non quinquaginta? non viginti? non decem? non saltem quinq.? totidem enim in editione LXX. interpretum requirebat Deus, vt non deleret Sodomitas. Cùm deprecans Abraam pro eis, nunquid, ait, perdes iustum cum impio? & tandem: quid si inuenti ibi fuerint decem? & dixit, non delebo propter decem, immò & propter quinq.. Sic enim est apud LXX. Sed redeo ad locum Euang. Lucæ de instituto relinquendi omnia: de quo, vt dixi, Dominus in extremo vitæ discipulis tanquàm de re maximi momenti, & grauissima admonuit, inquiens, quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis. nunquid defuit vobis aliquid? At illi dixerunt, nihil: Sed quia, quod sequitur, & nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram, videtur non solùm non cohærere, sed contrarium esse instituto relinquendi omnia. Hîc enim non solùm non iubet ire sine sacculo, vt Apostoli missi fuerant: Sed qui habet sacculum, permittit ei vt habeat etiam peram, explicandus est locus, ne hoc loco Sadeel, qui in sagacitate venandi cauillationes exultat & triumphat, aliqua cauillatiuncula, argumentum hinc ductum eludat, & sophisma vocet, vt solet. Interpretatur

Quare dominus cùm mors instaret, discipulos suos admonuit de instituto nihil possidendi.

Interrogandus est Sadeel, in cateruis innumerabilibus, quas gloriatur eiectas esse, an fuerint decem saltē, aut etiam quinque probi.

Photij interpretatio.

*autem locum hunc acutissimè & eruditissimè Photius Patriarcha Cōst. in respōsis ad quæstiones CCC. Amphilochij, Metropolitæ Cyzici, ne autorem laude sua fraudemus. Post varias antiquorum interpretationes huius loci, suam adhibet ita modestè, vt dicat priùs tanquàm vice proœmij, agēdas esse gratias sanctis Patribus, à quibus, qui posteà cōsecuti sunt, acceperunt, inquit, Semina, & primitias* ἀκριβεστέρων ἐπιλύσεων *id est, limatiorum solutionum, interpretabor latinè. Approbans igitur, inquit, constantiam discipulorum ad summam virtutē, Martyrij scilicet, eos reuocat. Nunc, inquit, cùm mea passio instat, & bellum contra vos paratur, qui sermonem meum, de relinquendis, scilicet, omnibus, & me sequendo nō seruauerunt, eos sequetur, cum sacculo, cura etiam de pera acquirenda: Qui verò laborauerunt, & studuerunt vt seruarent, hi imponent finem & consummationē certamini priùs suscepto. Eos contrà, qui ab illa perfectione nihil possidendi lapsi sunt, sollicitudo & cura de multis rebus excipiet, quibus cum sacculo, pera, & quicquid commoditas vitæ imperat, non deficient. Idcircò inquit, pulchrum fundamentum futurorum certaminum iecistis in paupertate. Quare reliquum est, vt magis nunc, quàm priùs, parati & prompti sitis ad subeundum mortem pro me: iam enim & ego mortem pro mundo subeo. Bene autem fecistis, qui omnia vitæ huius reliquistis, ita vt nihil possit vos retrahere, quo minùs læti ad id, quod caput est omnium, id est, ad mortem pro me oppetendam veniatis. Illud itaque sanè sequitur, vt præsto & prompti sitis ad dandum* ἔσχαυτον περιβόλαιον, *id est, extremum amictum, & vitam pro me commutandam cum morte. Hoc enim significat* τῶν εἰρημένων πάντων ἐυσοχώτερον, *id est, probabiliùs, quàm cætera, quæ ab alijs dicta sunt, illud vendere tunicam & emere gladium: quod perinde est, quasi diceret, nec vltimo amictui parcet, qui perfectionem nihil possidendi consummauerit. Immò dabit locum promptè emendo gladio. Itaq; prænunciat futurum esse, vt custodia illius instituti de nihil habendo, hoc vltimum & ingens officium virtutis præclaræ vobis repræsentet. Suadebit enim mortem pro me*

Eruditissima, & acutissima interpretatio Photij in locum Euangelij Lucę, quando misi vos sine sacculo, &c.

*libenter*

*libenter adire, ab omni prætereà sollicitudine rerum humanarum liberos esse, ad nullamq; curam rerum ad corpus pertinentium conuerti, omniaq; ad meum cultum referre. Quod autem nihil aliud, in ænigmate duo gladij significarent, quàm mortem Domini, & discipulorum, ex eo intelligere licet, quòd cùm responderent discipuli, ecce duo gladij hic, nihil ampliùs ab eis requisiuit Dominus, sicut requisiuerat in habente sacculum, vt tolleret similiter & peram: & in vendente tunicam, vt emeret gladium: Sed satis, inquit, est, scilicet ad significandum in Symbolis, quod voluit, nempe ad passionem Domini significandam vnus gladius, & discipulorum alter: Hactenùs Photius* ὑποχώτατος *interpres scripturæ sanctæ, vt perspici potest, ex Scholiis eius in Pauli Epistolas, iam editis, & in Euangelium Matth. & Ioannis, quæ extant nondum edita. Plura de hac re, in volumine defensionis Epistolarum Pontificum Apostolicorum scripsimus. Sed satis sunt hæc pauca, ad conuincendum iniustè eiectos esse Monachos, propter votum paupertatis, quo Deus iustè & piè honoratur & colitur. Doceamus idem in voto castitatis ex Euangelio: Cùm enim dixit Dominus, sunt enim Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, satis apertè docuit, dedicare Deo vitam cœlibem, ad cultum Dei Deo gratum referri, alioqui non dixisset statim, qui potest capere capiat, quod & ad liberam potestatem voluntatis, Deo adiuuante, pertinet, & Deo acceptum esse declarat. Si enim dissentiret ei dedicatio castitatis, aut si seruari non posset, non sic diceret, qui potest capere capiat; Potest autem, inquit, Greg. Naz. omnis qui vult. Significat tamen non cadere in eam præceptum, antè scilicet, quàm promissa sit sponte: Sed consilium. Pugnat igitur cum Euangelio Lutherus, cùm dicit,* vehementiorem esse impetum libidinis, quàm vt ferri possit, ac proinde votum continentiæ non posse suscipi, neque, si suscipiatur, debere exigi, *& in libro de vita coniugali scripsit,* coniunctionem maris & fœminæ necessariam esse, vt cibum, potum & somnum, neq; magis posse hominem hoc carere, quàm mutare

καὶ πάντα

Quomodo secundùm scripturam dedicare Deo vitam cœlibem ad cultum Dei pertineat.

Lutherus malus Philoſophus, & peior Theologus.

ſexum. *Docuit ille quidem hoc contra naturam & ſcripturam, & Apoſtolicam traditionem, vt malus Philoſophus, & peior Theologus. Voluptates enim corporis, tradunt Philoſophi, partim eſſe naturales & neceſſarias, vt cibi, potus & ſomni: partim naturales quidem, ſed non neceſſarias, inter eas referunt appetitum coniunctionis corporum. Si Philoſophis non credebat Lutherus, debebat credere Apoſtolo, qui docet hoc in Epiſt. priore ad Cor. Omnis autem, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiãt; nos autẽ incorruptã. Græcè eſt* ἐγκράτευεται, *id eſt, ab omnibus ſe abſtinet. Pertinet autem vis verbi huius in primis, & propriè ad voluptates Veneris. Sic vſus eſt idem Apoſtolus hoc verbo 1. Cor. c. 7. de Viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego, quòd, ſi non ſe continent, nubant; meliùs eſt enim nubere quàm vri. De Viduis loquitur, quæ liberæ erant ad nubendum, ſi vellent, ante promiſſionem caſtitatis, idem verbum eſt Græcè. Similiter accepit Apoſt. hoc verbum, cùm iubet in Epiſt. ad Titum, vt Epiſcopus & Presbyter ſit* ἐγκρατὴς, *id eſt, vt ſe abſtineat à Venere, eſtq; hîc aduertenda Apoſtoli* ἀκρίβεια, *id eſt, diligentia, & lima doctrinæ; non enim ſolùm* ἐγκρατὴς *ſed* σώφρων *potuit, id eſt, pudicus ſiue caſtus & continens; iubet enim abſtinere à Venere, ſiue quis tentetur libidine, ſiue nõ tentetur; qui enim certat, & certando caſtitatem cuſtodit* ἐγκρατὴς *dicitur. Qui autem aut per ætatem, aut* δι' ἀσκησιν, *id eſt, propter caſtigationem corporis, aut quia de matris vtero ſic natus eſt, conſecutus eſt, vt ſine pugna ſit caſtus,* σώφρων *dicetur. Explicauit Philoſoph. vtriuſq; verbi naturam. Redeo ad locum Epiſt. ad Corinth. profectò, qui ſcripſit, omnis, qui in agone cõtendit, ab omnibus ſe abſtinet, videtur planè, qui verſus Menandri Poëtæ & Callimachi citare ſolet, legiſſe etiam, quæ Plat. in lib. VIII. de Legibus ſcripſit: Narrat enim accepiſſe fama; Iecum Tarentinum, vt in Olympis, & aliis ludis vinceret, ſemper ab omni Venere abſtinuiſſe, & eandem famam fuiſſe Criſſone Aſtylo, Diopompo, & aliis quàm plurimis, quibus remiſſiùs erit in die iudicij, ſicut Dominus de aliis in Euan-*

Quomodo cum ſcriptura pugnat, quod Lutherani tradũt, votum caſtitatis eſſe de re impoſsibili.

Locus Pauli, omnis, qui agone contendit &c:

Qui abſtinuerũt perpetuò à venere, vt vincerent in Olympis.

Matth. 11.

*in Euangelio dixit, quàm Martino Luthero. Confirmat hæc omnia Apostolica doctrina, & constitutio, lib. 8. c. 25. Sic enim ait de Viduis adolescentioribus non eligendis ad gradum vitæ cœlibis inter Diaconissas facta promissione, de quibus Paul. in Epis. ad Timoth. Sin verò, inquit, paulò antè amisit virum, ne ei credatur, sed potiùs adolescentia exploretur tempore, aliquando enim passiones cum hominibus consenescunt, nisi fortiore fræno cohibeamur. frænum fortius vocat, velle cum timore Dei continere: hanc enim causſam esse dixerat, eadem doctrina Apost. lib. 4. de Viduis, cur, quæ promissionem castitatis fecerant, non seruabant, quia scilicet non accederent cum timore Dei ad seruandum. Mulierem enim, qui tangit* οὐτυραννεῖται *ait Gregorius Naz: in libro de Spiritu S. id est, nõ cogitur violenter; violentiam enim inquit, natura ei non adhibet, immò penes naturam est, esse castum. Passio autem libidinis præter naturam est, & aduentitia, quæ frenorationis vtiliter cohibetur, gratia Dei adiuuante, quam Deus affluenter dat indigentibus, qui in fide postulant. Sicut ait beatus Iacobus. Dilatauimus hæc aliâs; satis est nunc cursim & strictim repetisse, vt intelligat C. V. neq; propter votum castitatis factum, eiiciendas fuisse cateruas Monachorum, quasi eiusmodi votum de re impossibili esset, & contra mandatum, pertineretq; ad cultum Deo odiosum, cùm demonstratum sit breuiter, cum naturæ potiùs & scriptura atq; Apostolica traditione pugnare ista.*

Quòd penes naturam sit esse castum.

## CAPVT SEPTIMVM.

*SVPEREST, vt de voto quoq; obedientiæ, quod Monachi faciunt, aliquid dicamus ex scriptura. Scribit Apost. in 2. Ep. ad Cor. c. 8. laudans liberalitatem Macædonum in eleemosynis conferendis, ad adiuuandos fratres, qui erant Hierosolymis, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum, quia secundùm virtutem (testimonium illis reddo) & super virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes vos, gratiam & communicationem ministerij, quod fit in sanctos: deinde*

De voto obediẽtiæ Monasticæ secundùm scripturam.

*inde ſubiungit, et nõ ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. Laudat illos Apoſtolus, quòd non ſolùm ſua bona ad ſubueniendum fratribus dediſſent, quod facturos eſſe eos, bona ſpe fuerat, ſed præter expectationem ſuam ſeipſos, inquit, dederunt primùm Domino: deinde nobis per voluntatem Dei. Hoc faciunt hodie ex eo tempore Monachi, ſecundùm doctrinam, quam tradidit dominus, & Apoſtoli prædicauerunt, & ſancti Patres obſeruârunt, & quam nos à Domino traditam, ab Apoſtolis prædicatã, & à ſanctis Patribus obſeruatam accepimus, & omnes Eccleſiæ per orientẽ & occidentem acceperũt & ſicut acceperunt, ſic hodie tenent: Non enim ſolùm ſua dant Domino, id eſt, Monaſterijs, aut alijs egentibus, in nomine Chriſti, ſed ſeipſos tradũt in nomine Chriſti, in poteſtatem eius, qui præeſt ei ordini, in quo ſe Domino tanquàm victimas holocauſti offerunt. Expreſſum eſt hîc, quod in actis Apoſtolorum à Luca ſcriptum eſt; erat, inquit, multitudinis credentium cor vnum & anima vna, neque quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et paulò pòſt, quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorũ erant, vendentes offerebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuiq; opus erat. Sic fecerunt Macædones iſti, ſecundùm eandem doctrinam Apoſtolicam. Dabant enim non ſolùm, quæ habebant, Domino, ſed per voluntatem Dei, id eſt, in nomine Domini ſeipſos dabant ſanctis Apoſtolis, qui curabant, vt ſicut vnicuiq; opus eſſet, ita eis ſuppeditaretur. Non enim ampliùs poteſtatem habebat vnuſquiſq;, vt ſibi aliundè ſuppeditaret, aut acquireret. quin potiùs hæc cura & ſolicitudo eorum erat, qui præerant, & in quorum poteſtatem ſe dederant. Quod autem ſui poteſtatem non haberent ampliùs, ſatis apertè ſignificauit Apoſtolus, cùm dixit, & non ſicut ſperabamus, ſed ſeipſos dederunt primùm Deo, deinde nobis per voluntatem Dei: ſi poſtquàm ſua dederunt Deo, ſeipſos quoque dederunt Apoſtolo per voluntatem Dei, conſequens eſt, vt ſicut illa bona ſua,*

*quæ*

quæ dederant, non amplius in eorum potestate erant, nec ipsi amplius eorum bonorum Domini, quod satis testatur mors Ananiæ & Saphiræ vxoris, quia de pretio agri Deo iam dedicato, per fraudem auerterant, mentientes, sicut beatus Petrus dixit, Spiritui sancto; Sic nec ipsi erant iam sui Domini, quia vt dixi, sicut dederant quæ habebãt, sic seipsos dederunt. Non enim dicit Sadeel venator cauillationum, positum esse hoc verbum dederunt Homonymè, vt aliter dedissent Deo, ea quæ habebant, aliter seipsos: immò vno modo dederunt. Vnus autem modus dandi erat, scilicet, non relinquere sibi potestatem eorum, quæ dabant Deo; dabant autem sua & seipsos. Non enim scriptura in hoc vno & eodem loco, vno & eodem verbo, Homonymè, siue æquiuocè vsa est, nec vti necesse erat. Cùm igitur dare sua Deo, & se alicui per voluntatem Dei, acceptum Deo sit, & ad cultum eius & honorem pertineat; testimonio Pauli Apost. qui Macædones illos, qui hoc fecerant, laudat; quid dicturus est miser Sadeel, qui in electis innumeralilibus cæteruis Monachorum, poæana, & iò triumphe canit, & totidem immundos spiritus vocat. Et si Ananias & Saphira, sic à beato L[illegible]uniti sunt, & factus est timor magnus, sicut ait Lucas, super omn[illegible]s qui audierunt, quid facient, qui tot possessiones Deo datas sacrilegè rapuerunt: tot Monasteria spoliârunt, ac bona Deo oblata, ad tribuendum vnicuiq; ex Monachis, prout opus esset, sicut de illis scripsit Lucas, in alios vsus conuerterunt? An quia C.V. non hoc fecit; Sed factum repetit: Idcirco putat non pertinere ad eam in hac parte, quod dominus dixit, & ego in superiori Epistola vrgebam, vt quid quod iustum est, ex vobisipsis non iudicatis? Si non pateretur hoc in bonis suis fieri, cur patitur in bonis Dei, id est, illi oblatis? Si non pepercit Deus Ananiæ & Saphiræ, qui agrum suum vendiderant, & precium Deo dederant, quia partem sibi mentiendo auerterant; quomodo parcet iis, qui aliena prorsus, & quæ nunquam possederunt, Deo, cuius erant, abstulerunt, aut qui ab aliis oblata, cùm possunt, non restituunt? Illustrissime Princeps, quia plùs C.V. diligo, quàm Sadeel, non possum silere iudicium, quod C.V. imminet, nisi in-

De Iudicio Dei horribili in eos futuro, qui bona Monasteriorum sacrilegè rapuerunt.

De eo quod à Luca ſcriptum eſt, & factus eſt timor magnus ſuper eos, qui audierunt.

*cipiat timere. Non enim propter illos tantùm, qui nunc erant, & audierant, ſcriptum eſt à beato Luca, & factus eſt timor magnus, ſuper omnes qui audierunt, ſed propter eos etiam, qui nunc audiunt, vt C. V. audit per Lucam Euangeliſtam. Timeat igitur, antequàm veniat dies Domini, tanquam fur, ne illi, qui tunc audierunt & timuerunt, C. V. accuſent & condemnent, quia audiuit & non timuit. Nolite errare, inquit Apoſtolus, Deus nõ irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Scio gloriari Eccleſias Saxonicas de bonis Monaſteriorum, ad alios vſus pios, vt ipſæ putant, translatis; ſic enim eſt in c. 11. Confeſſionis earum, de vita Monaſtica,* ad tales vſus pios, ad alendos Paſtores, pauperes, & ſcholaſticos, ad conſtituendas Scholas, ad iuuanda hoſpitalia, magna pars reddituum in Monaſteriis, in his regionibus Dei beneficio translata eſt. *Hactenus confeſsio; cuius gloriatio non eſt bona: immò gloria, ſicut Apoſt. ad Philipp. ſcripſit, in confuſione eorum, qui ſic gloriantur: Quod enim iactant transtuliſſe ea bona, ad vſus pauperum. Honora, inquit ſcriptura, in prouerb. Salomonis, Dominum de iuſtis laboribus tuis. non eſt autem iuſtum, ſed iniquum, rapere alienum; immò ſacrilegum rapere, quæ Domini ſunt, vt pauperes & hoſpitalia de ſacrilegio alantur. Neque rurſus æquum erat, vt quibus creditæ erant animæ Monachorum, quæ maioris æſtimationis ſunt, non eſſent credita bona Monaſteriorum, vt à quibus reposcenda eſt ratio animarum, ab eisdem eſſet etiam reposcenda ratio bonorum. Hæc enim eadem ratio eſt, quam Canon Apoſt. 40. affert, cur Epiſcopus poteſtatem bonorum Eccleſiaſticorum habere debeat, quæ valet etiam in his, qui Monaſteriis Præfecti ſunt. quare ſi bonis Monaſteriorum, Præfecti Monaſteriis abutebantur, (hoc enim fortaſsis excuſabunt) ad Epiſcopos diœceſeon, erat referẽdum, quos Proteſtantes quoq; ſuſtulerunt, & ſimili ſacrilegio, bona, quæ illis vnà cum animis fidelium commiſſa erant, ipſi Magiſtratus, in quos vſus viſum eſt eis, tranſtulerunt, vt cum Ania etiam & Saphira, & cum Achar, ac Iuda iudicentur. Iam quod*

Gloriatio Eccleſiarum Saxonicarum, de bonis Monaſteriorum translatis, in alios vſus pios per Magiſtratus ſæculares, qualis ſit.

*quæritur*

*queritur Sadeel, & me accusat*, quòd ausus sim calumniis & fabulis anilibus, felicem memoriam Lutheri, & nomen celeberrimum proscindere. *Sic enim ait. Si calumniæ erant, aut fabulæ, debebat probare, & non dicere tantùm, sicut semper facit. Felicem memoriam & celeberrimum nomen dicit eius, quem omnes Ecclesiæ Catholicorum, per cunctum orbem tanquam Hæresiarcham anathematizant, qui fidem ab initio Germaniæ traditam, quæ in omnibus Ecclesiis prædicabatur, mutauit, & fidei nouæ nouum nomẽ dedit, vt à Lutherofidei suæ auctore, Lutherani vocarẽtur. O felicẽ memoriam, ô celeberrimum nomen Martini Lutheri Hæresiarchæ, & Apostatæ, ac sacrilegi mariti Virginis Deo sacræ: immò ô infelicissimam memoriam eius, qui secundùm Apostolum, qui Christum in se loquentem habebat, damnationem habet, quia primam fidem negauit, sicut illæ Viduæ ad nuptias, contra fidem promissionis factæ redeuntes, de quibus Paul. loquitur, etsi libet Sadeeli cum Flaccio Illyrico, tametsi contra mentem Apostoli fidem illam primam, quam Apostolus illic dicit, non promissionem, sicut nos probauimus, interpretari: Sed fidem, quæ, inquit Illyricus, vocem Euangelij complectitur, & veri Dei inuocationem accendit. O ter & ampliùs infelicem memoriam eius, qui damnationem habet; quia fidem, quæ Euangelium à S. Apostolis ab initio traditum, quod in Germania, sicut in cuncto orbe Christiano prædicabatur, negauit. O infelicem memoriam eius, cui bonum erat, si natus non fuisset, sicut Dominus de Iuda testatus est. Non dixit Dominus, simpliciter bonũ erat, si natus nõ esset: Quod enim non est, inquit Photius, hunc locum interpretans, neq; diuinam prouidentiam declarare potest; nec vllum bonum participare, atq; ita simpliciter melius est esse, quàm non esse; Sed dixit, bonum erat illi. Esse enim in perpetuo supplicio, grauius & peius est ei, qui est in eo, quàm non esse natum. Idem dicendum est de iis, qui cum ad extremũ vsq; spiritum sequi voluerint, & in pertinacia eius perseuerare, qui quia semper suæ causæ iudex esse voluit, & scripturam suo sensu interpretari, nullis disputationibus, nullis scriptis, nul-*

*lis conſiliis voluit cedere, nullis minis terreri, nullis blanditiis molliri, nullo anathemate tremefieri. Dixi, neq; terroribus de cœlo flecti. Narrat enim Surius de eo ſic, Erphordiæ, quæ eſt inſignis Thuringiæ Vrbs, Academia celebris, factus eſt Lutherus anno ætatis ſuæ 20. artium Magiſter, inde cùm iuris prudentiæ animum appuliſſet, ambulans cum ſocio in agro repente ictu fulminis ſocium perdidit, quare territus & conſternatus, multis ſtupẽtibus relicto mundo, & ſpretis omnibus, beati Auguſtini inſtitutum Eremitarum complexus eſt. Hactenus Surius. Sciebat Deus velle Lutherum fieri Monachum, & vt cum metu Dei accederet ad faciendũ votum, ne illud poſteà ſacrilegè violaret, ſicut violauit, & quod maius erat, ne fieret Hæreſiarcha, perterrefecit eum de cœlo, etſi nihil profecit. Sicut euenit etiam Iudæis, quos Dominus perterruit, cùm totus mõs, inquit, fumabat, cò quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcẽderet fumus ex eo, ſicut ex fornace, eratq; omnis mons terribilis. Et ait Moiſes ad populum, nolite timere, vt enim probaret nos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.*

Lutherus de cœlo perterritus, ne Apoſtata fieret.

*Ad illius igitur pertinacem obſtinationem, hortatur C. V. Sadeel ſpecioſis nominibus vtens, cùm dicit,* tentaſſe me arcem fortitudinis C. V. *& in alio loco Epiſtolæ ſuæ hortatur C. V. ad* conſtantiam. *Sic ſolent Hæretici. Hunc eorum morem notauit Apoſt. in Epiſt. ad Rom. cùm ait: Rogo vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis: huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Dulcis ſermo eſt, & quædam benedictio, quæ meliùs Græcè dicitur* εὐλογία *apud eos, qui magnitudine animi præditi ſunt, laudari à fortitudine & conſtantia. Sed errat miſer Sadeel, & in errorem vult inducere, vt ſit ex numero illorum, quos Apoſtolus dicit, errantes & in errorem mittentes. Vellet enim ſuadere C. V. fortitudinem, qua ipſe pugnat contra Deum, quæ non eſt fortitudo, ſed miſerrima infirmitas, non conſtantia, ſed lugenda leuitas,*

*leuitas, non fuisse scilicet (sicut Apostolus Philippensibus præcipit, stabiles & immobiles ab spe Euangelij, quod semper in Germania, ante aduentum Martini Lutheri prædicatum fuerat, & per cunctum orbem prædicabatur. Sed potiùs fluisse circumferri se, sicut Apost. ad Ephes. scripsit, omni vento doctrinæ, in fallacia hominum, in astutia, in circumuentionem erroris.*

## CAPVT OCTAVVM.

*SED, quia satis iam, vt opinor, responsum est, ad omnes cauillationes Sadeelis, quibus Epistolam ad C. V. aspersit, superest, vt idem faciamus nunc in iis, præsertim in cauillationibus, quibus contra Ecclesiam Catholicam visibilem magis sudat, & quibus videri voluit, respondere ad meum librum, & quidem celeriter; ne, si moram interposuisset, causam ad tuendum difficilem sustinere, & inopia rationum & scripturarum laborasse putaretur. Noluit interim cauere, ne in illis numeraretur, quos Salomon in prouerb. dicit stultos esse, qui antequam intelligant, respondent. Vtrùm verò scripturas de Ecclesia Catholica visibili à me productas, copiosè expositas, & cum aliis scripturis inter se collatas, vllis scripturis refellat, an verò mutus sit in hac parte, V. C. Videbit, & iudicabit; & tamen audet Sadeel confidenter postulare à C. V.* vt omnia ad sacræ scripturæ regulã exigat; *Rectè quidẽ; Sed ad intelligendas scripturas opus est fide; nisi enim credideritis, nõ intelligetis, inquit Propheta Esa. Opus quoq; est, nõ nostro sensu intelligere eas, falli enim possumus: Sed sensu Ecclesiæ tradito per prædicationem Apost. Hanc traditionem veri sensus scripturarum, in Ecclesia Catholica relictam, quæ omnes hæreses reuincit, vrget diuinè S. Irenæus lib. 3. c. 3. non dubito, immò pro certo habeo, & affirmare ausim; si C. V. intelligeret, se esse extra Ecclesiã, nõ pateretur esse extra eam vno die; sed vt intelligat hoc, necesse est, vt credat omnes maiores suos ante Martinum Lutherum intra Ecclesiam fuisse. Hoc autem rursus credet, si credat esse Ecclesiam Catholicam per vniuersum orbem*

*diffuſam, ſecundùm promiſſionem à Deo factam, quia Eccleſia maiorũ vſq; ad primũ generis veſtri, clariſſimi & antiquiſſimi, Chriſtianũ, eam fidẽ tenebat & ſeruabat, quæ erat omniũ Eccleſiarum totius mundi. Eſſe enim ſimul intra Eccleſiam vnã, quæ Catholica eſt, fidem veterem Eccleſiæ, & fidem nouam Confeſſionis Auguſtanæ, impoſſibile eſt. Siquidem, quod vnum eſt, indiuiſum eſt: Fides autem noua Lutheri, vt diuiſa eſt à fide vetere, ita Eccleſia eius fidei ab Eccleſia Catholica, cuius eſt fides, quæ ab initio tradita eſt, diuiſa & direpta eſt; At extra Eccleſiam vnam Catholicam, quæ eſt ſecundùm promiſſionem Dei, hæreditas Chriſti, per omnes fines terræ propagata, ſalutem non eſſe, ſicut non fuit extra arcam Nöe, millies C. V. in Aug. & cæteris Patribus legit. Cùm igitur quærebatur à diſcipulis Lutheri, & Patronis Cõfeſſionis Auguſtanæ, ante Lutherum, vbi erat Eccleſia Lutheri, vt eorum reſponſio conuinceret Lutherum ipſum, Eccleſiam ſuam peperiſſe, & ſe filiũ eius adoptaſſe, negata matre, quæ eum genuerat, quo nullum portentum magis monſtruoſum & horrendum naſci potuit, variè reſpondere cœperunt: Principiò fuiſſe aiebant, ante Lutherũ, in reliquiis, in Eccleſia Catholica, delitescentibus: Rurſus cùm ſe in illis latebris tueri non poſſent, quin cogerentur portentum partus Lutheri confiteri, accurrerunt aliæ ſapientiores obſtetrices, ad partum Lutheri obtegendum, ne veſtigium eius aut vllum ſignum in terra ſpectaretur. In his extitit miſer Sadeel, qui negat Eccleſiam Catholicam eſſe viſibilem, vt nemo iam quærendum eſſe putet, vbi ante Lutherum ſpectabatur Eccleſia Lutheri, ſi ante Lutherum adhærebat toti & vni Eccleſiæ Catholicæ inaſpectabili. Sed quia ſapiens Sadeel, ne ſenſus vnà cum mente amiſiſſe videretur, tandem conceſſit Eccleſias quidem particulares, aſpectabiles eſſes & viſibiles: Rurſus eandem percunctationem vrgebimus. vbi ante Lutherum erat Eccleſia particularis Confeſſ. Auguſtanæ: Si adhærebat vni Eccleſiæ Catholicæ inaſpectabili? Ante Cõfeſſionem enim Auguſtanam, non fuit Confeſſio Auguſtana. Ita fit, vt neq; iſta ſapiens obſtetrix, poſſit partum Lutheri celare. Sed illud*

Quod Lutherus Eccleſiam ſuam peperit.

illud mirandum est, Illustrissime Princeps, quomodo discipuli Magistrum & Doctorẽ suum Lutherum docere & corrigere audent; ille enim schisma factum esse nunquàm negauit, licet aliquando diceret, nulla caussa faciendum esse: testis est Philipp. Melanchton, qui erat Luthero, vt ipse putabat, qualis olim erat Aarõ Moisi. Is enim in fine responsionis ad articulos Bauaricæ inquisitionis, cùm excusat crimen schismatis, quod eis Catholici obiiciunt. Terribile est, inquit, nomen schismatis; Sed huic crimini opponenda est hæc vera & necessaria, & firma cõsolatio, fugite idola: Confitetur igitur schisma factum esse. At si schisma spectatur & cernitur, necesse vt id, in quod cecidit schisma, id est, Ecclesia Catholica, quæ scissa est, visibilis sit & spectabilis. Quid enim magis incredibile & absonum dici potest, quàm dicere, visibile esse scindi, id tamen, quod scinditur, videri non posse; vt si quis diceret, cùm pallium suum nouum scidit Ahias in decem scissuras, significans, sic scindendum esse regnum Salomonis in decem Tribus, scissuram quidem visam esse, sed pallium non fuisse visibile. Quod autem excusat Philippus factum esse schisma, propter idololatriam, quam falsò obiectabat, ne sic quidem, quamuis verè obiectasset, schisma facere licebat, sed potiùs beati Cypriani exemplum sequi oportebat, & non Luciferianos imitari, quibus schismatis crimen his verbis obiicit Hieronymus in dialogo, quem contra eos scripsit. Quod si de scripturis, inquit, proferri noluerint, quæ beatus Cyprianus ob Hæreticos rebaptizandos in Epistoliis suis reliquit. Sciant illum hæc nõ cum anathemate illorum, qui sequi noluerunt, edidisse, siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant. Addit Philippus ad illam suam consolationem, quæ eum in inferno cruciat, & consortes eius, qui supersunt: si vsquè ad extremum vitæ sic perseuerauerint, cruciatura est: Adiungẽda est, inquit, & hæc vox terribilis, qui dixerit Blasphemiam in Spiritum S. non remittetur ei. Et hoc illum magis redarguit, qui propter peccatum in Spiritum sanctum, quod Confessionistæ contendunt, & Catholici negant, putauit licere dirupto vinculo pacis, & concordiæ diuinæ

Quomodo discipuli Lutheri corrigere eum audent.

Reg. lib. 3. c. 11.

*diuinæ facere ſchiſma, quod eſt planè blaſphemum eſſe in Spiritum S. planè enim Spiritum ſanctum oppugnant, qui pacem Eccleſiæ, quam Chriſtus per Spiritum ſuum edidit, ſcindit. Nos, quantum in nobis eſt, inquit beatus Cyprianus in Epiſt. ad Iubaianum de Hæreticis rebaptizandis, propter Hæreticos cum Collegis, & Coèpiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & dominicam pacem tenemus. Maximè cùm Apoſtolus dicat, ſi quis voluerit contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Seruatur à nobis patienter, & leniter charitas animi, Collegij honor, vinculum fidei, concordia ſacerdotij. Hæc eadem idem beatus Hier. contra Luciferianos, qui ſchiſma fecerunt, repetiuit, quæ nos eadem cauſſa contra Confeſſioniſtas repetimus: Qui quidem omnia violârunt & repudiauerunt, vt ſchiſma facerẽt; quæ tamen beatus Cyprianus integra conſeruauit, ne faceret. Vinculum enim fidei ruperunt, nouam fidem profitendo; Collegij honorem & ſacerdotij concordiam violauerunt Epiſcopos eiiciendo, & caput Eccleſiæ Catholicæ negando. Sed vt C. V. iudicet, quàm benè Sadeel* Eccleſiam Catholicam electorum tantùm & inuiſibilem eſſe, *defendat, reſponſionem eius ad vnum locum tantùm Auguſtini hic notabo, vt ex ea, de reliquis reſponſionibus, id eſt, cauillationibus, coniecturam faciat, ſi eas legere vel non vacabit, vel pigebit. Poſtquàm in ſecundo & tertio capite mei libri, ex loco Pauli 1. Timoth. 3. ex quo ſolùm notato more ſuo Sadeel dixerat,* probari Eccleſiam Catholicam eſſe electorum tantùm, & inuiſibilem: *Ego contrà ex eodem loco, copioſè & prolixè collatis ſcripturis ſanctis explicato & confirmato, demonſtraui his omnibus, qui non obſtinatè & pertinaciter veritati reſiſtere voluerint, vt facit Sadeel, & cupit, idq; operam dat, vt alij, quos decipit, idem faciant; Demonſtraui, inquam Eccleſiam Catholicam eſſe viſibilem ex electis & reprobis conſtantem: Poſtremò probaui hoc teſtimonio Auguſtini, quo quidem teſtimonio, quia ſtare vult Sadeel ſuæ cauillationi confiſus, repetam illud in hac Epiſtola, vt C. V. iudicet, vtrùm teſtimonio Auguſtini, quod*

Quid factum ſit in ſchiſmate Lutheri.

Quomodo teſtimonio Auguſtini, quo Sadeel ſtare vult, conuincatur, Eccleſiam Catholicã viſibilem eſſe ex iuſtis & peccatoribus conſtantem.

*in me*

*in me retorquet, vincat, an victus sit. Sic igitur ait, lib. 3. de Doctrina Christiana, c. 32. Illud in Canticis. Fusca sum & speciosa vt tabernacula Cedar, speciosa vt pelles Salomonis. Non enim fusca fui, vt tabernacula Cedar, & speciosa fui, sicut pelles Salomonis. Sed vtrumq; se esse dixit, propter temporalem vnitatem, intra vna retia piscium bonorũ & malorum. Tabernacula enim Cedar ad Ismaëlem pertinent, qui non erat hæres cum filio liberæ. Hactenus Augustinus. Cùm ait Aug. vtrumq; se esse, dicit, scilicet Sponsa, an non satis clarè dicit, se esse mistam ex vtroq;? Non dixit, speciosa fui, ne Sadeel diceret, Sponsam esse Ecclesiam electorum tantùm. non dixit, fusca fui, ne quis putaret, Sponsam esse Ecclesiã reproborũ: Sed vtrũq;, inquit Aug. se esse dicit. Si vtrũq; se esse dicit, igitur se dicit esse fuscam simul & speciosam. Quis non sic intelligat, & inferat? Sed dicat adhuc clarius Aug. sequitur enim propter temporalẽ vnitatẽ, intra vna retia piscium bonorum & malorum. Si dicit se esse vtrumq; propter temporalem vnitatem: ergò, vnitas temporalis est in vtroq;, scilicet in fusca & speciosa. Vnitas, inquit, commixtionis Sacramentorum in hoc tempore; quàm diu scilicet Ecclesia hæc vna est in terris: Sed dicat adhuc clariùs Augustinus, si clariùs dici potest. Sequitur enim, intra vna retia bonorum & malorum piscium. Vna retia dixit, sicut qui dicit vnas literas, quæ vnæ non sunt, si diuisæ sunt; de ratione enim vnius, siue numero singulari, siue multitudinis dicatur, est, esse indiuisum. Si igitur vnitas est in fusca & speciosa, & vnitas in retibus piscium bonorum & malorum, igitur fusca non est diuisa ab speciosa, sed vna est fusca simul & speciosa, propter vnam commmixtionem, siue communionem temporalem Sacramentorum, vt idem Aug. interpretatus est: Neq; rete piscium bonorum diuisum est à reti piscium malorum, quia est vnitas in retibus, in hac vita temporali & mortali. quis hæc tam clara & aperta, tàm euidenter & necessariò concluſa eludere, & præstigiis cauillatoriis inuoluere auderet, nisi Sadeel? Sed videamus, quemadmodum eludit, & quomodo, dùm nititur eludere & fallere, mendacium & dolum suum patefacit: Sic*

*enim ait Sadeel.* Sed dũ vtrumq; dixit Augustinus, manifestè duo corpora cõstituit. *Hic prætermisit fraudulenter, de quo quæstio tota est: Sic enim ait Augustinus, tanquàm vnum sit vtrumq; corpus; quomodo igitur, dum dixit Augustinus, vtrumq; corpus, manifestè duo corpora constituit? immò, quomodo non manifestè duo corpora copulauit in vnum, propter vnam communionem Sacramentorum, cùm dixit, tanquàm vnum sit vtrumq; corpus, propter temporalem commixtionem Sacramentorum? Sed videamus, quomodo, vt se iugulet suo gladio, locum Augustini à me productum recitat, repetens altius pag. libri sui 99.* nos, *inquit,* verba Augustini apponamus; *reprehendens igitur Ticonium, qui bipartitum corpus Christi dixerat, non ita, inquit, debuit appellari, non enim reuerà Domini corpus est, quod cum illo non est in æternum. Sed dicendum fuit de corpore Domini vero atque permixto.* At non dixit *Aug. hìc, sed dicendum fuit de corporibus Domini, vno vero & altero simulato. Hoc enim erat, quod in Ticonij regula, Augustinus reprehendebat, quòd corpus bipartitum Christi, id est, duo corpora Domini faceret; Sed dixit de corpore vno, scilicet, partim verò propter electos, partim simulato propter reprobos. Ex his enim duobus commixtum est & copulatum in hac vita corpus Domini, quod est perinde, vt si dicatur, ex his duobus commixta est Ecclesia, quæ est corpus Domini, sicut Apost. loquitur, vt si quis exempli gratia diceret, vnũ corpus ex parte sanum, & ex parte alia ægrotum; Siue vnum corpus, cuius membra partim sunt viua, partim mortua, ita vt membra mortua, membra quidem sint corporis Christi, non tamen vera membra corporis Christi, sed æquiuocè & nomine tantùm. Sed dicat adhuc clariùs Aug. Verumetiã, inquit, nunc Hypocritæ non cũ illo, id est, Christo, dicendi sunt esse, quamuis in eius esse videantur Ecclesia, an nõ satis clarè dicit Aug. hìc in Ecclesia Christi videri esse Hypocritas? nõ enim significat hìc videri, esse in Ecclesia, quasi phantasia sit, id est, fictio, id est, videri esse, sed nullo modo esse; sunt enim in Ecclesia, licet nõ sint in pace Ecclesiæ, sicut Apost. constitutio loquitur de peccatoribus,*

toribus, in l. 2. Clemētis Roma. quia scilicet nō sunt recōciliati in gratiam Sponsi Ecclesiæ, qui est Christus. Hoc dicit S. Maximus, in Centuria 2. Theologica, non esse in corpore Christi actu, sunt tamen potentia; Sed hoc magis adhuc declarat idem Aug. cùm subiungit regulam Ticonij, quæ regula, inquit, lectorem vigilantem requirit, quando scriptura, cùm ad alios iam loquatur, tanquàm ad eosipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui; vel de ipsis, cùm de aliis iam loquatur, tanquàm vnum sit vtrumq; corpus, electorum scilicet, & Hypocritarum, propter temporalem commixtionem, & communionem Sacramentorum. Si temporalis communio Sacramentorum, id est, vnitas Sacramentorum communis facit, vt vtrumq; corpus electorum & Hypocritarum sit tanquàm vnum; tanquàm vnum verò esse non potest, si sit tanquàm diuisum corpus, id est, si sint tanquàm duo corpora; Est igitur vtrumq; tanquàm vnum; ac proinde tanquàm indiuisum & copulatum, quod Pater Augustinus vocat commixtum, propter vnam communionem Sacramentorum visibilium.

## CAPVT NONVM.

SED, quia Sadeel regulam Ticonij recitauit, videamus, an gladium potiùs eduxerit, quo se transuerberet, cùm scriptura dicit, psal. 21. in persona Christi: Deus, Deus meus respice in me; quare me dereliquisti? Quod sequitur iam non de Christo, secundùm regulam Ticonij, neq; in persona eius, sed in persona peccatorum dicit, longè à salute mea verba delictorum meorum; Christus enim peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; Sed sicut ait Esaias, verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & paulò pòst, attritus est propter scelera nostra, & disciplina pacis nostræ super eum. Et Aug. nostra, inquit, delicta, sua facit, & longè à salute mea dicit, quia longè à peccatoribus salus. Quare, si Christus loquitur hìc in persona peccatorum, quod Sadeel negare nō potest, nisi de alio quopiam potiùs, quàm de Christo, hunc psalmum

Quomodo scriptura secundùm regulam Ticonij à Sadeele recitatā, peccatores in Ecclesia, quæ est corpus Christi, numerat.

*interpretari velit cum Theodoro Mopſueſtiæ Hæretico in Synodo Romana, Vigilio Pontifice damnato, & cum Iudaizantibus. Numerat igitur peccatores ſcripturain Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, pro qua redimenda mortuus eſt. Et cùm Apoſtolus ait in Epiſt. ad Cor. 1. c. 15. Deinde finis, cùm tradiderit regnũ Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem Principatum & poteſtatem, & virtutem. Deinde ſubiungit: Oportet autẽ illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Sanè quidem regnum, quod in fine tradet Patri filius, regnũ electorum eſt: Tradet autem euacuata iam omni poteſtate, & Principatu, & virtute in terra, id eſt, ſublata & deleta iam omnì Tyrannide Diaboli & adiutorum eius: ergo ſunt nunc in regno eius adiutores Diaboli, donec illis ſublatis fiat totum regnum electorum, quod tradet Patri: Regnũ enim, quod alioqui habebat tanquàm Deus, accepit vt homo, vt ſuo labore & cruciatib. ac morte & à peccato, & Diaboli Tyrannide liberaret; ac liberauit quidem ait S. Cyrillus lib. 4. contra Iulianum, per mortem; Sed remanent adhuc, ſcilicet, in regno eius ſeditiones peccatorum, quæ noſtra ignauia oriuntur, quibus omnibus ſublatis, poſt reſurrectionem pacatiſſimũ erit regnum. Sequitur deinceps: Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius, ibi ergo regnat, vbi habet etiam inimicos. Regnum ergo Chriſti in terra, ſecundùm humanitatem Eccleſia Catholica eſt, ſicut S. Patres, & Eccleſiæ ſanctæ Doctores tradunt; in ea enim ſunt iuſti & peccatores, amici, & inimici, electi, & reprobi, licet non vno modo ſint; Sed alij actu membra Chriſti, quia viua; alij non ſic. Et, cùm ait Petrus in actis Apoſt. c. 2. certiſſimè ſciat, ergo omnis Iſraël, quia Dominum eum & Chriſtum fecit: de humanitate eius hoc dicit, ait S. Athan. in lib. de incarnatione, contra Arrium, quæ eſt, inquit, omnis Eccleſia in eo dominans & regnans, poſtquàm crucifixus eſt, & vncta in regnum cœlorum, vt regnet poſteà ſcilicet, cum eo, qui propter eam ſe abiecit. Cùm igitur in hoc regno habeat nunc inimicos, & non ſolùm foris extra regnum, id eſt, extra Eccleſiam: non enim omnes, qui in hoc regno eius, id eſt, in Eccleſia ſunt, voluntati*

*voluntati eius obediunt, consequens necessariò est, vt Ecclesia, quæ est secundùm humanitatem regnum Christi de semine Dauid, quod à Patre accepit, in quo impleta est promissio perpetuitatis regni promissi Dauid, ex amicis & inimicis, ex obedientibus, & non obedientibus cõstet. Deinde, quomodo arca Noë, in qua erat etiã cum Noë, & aliis filiis eius, & vxorib. eorũ Cham maledictus, typus erat Catholicæ Ecclesiæ, quod nõ solùm omnes antiqui Patres: Sed beatus Petrus, vt in 2. lib probaui, testatur; Si Ecclesia Catholica spiritualis, arca fidelium, non habet etiam intùs reprobos, & maledictos, nondùm electos foras per anathema? Præterea, quod ait Augustinus de vno corpore Christi, ex vtrisq; electis scilicet & reprobis mixto, & copulato, confirmat Apostolica doctrina lib. 2. Clementis die Const. Apost. c. 14. in hoc sæculo, inquit, iusti cum iniustis communitate vitæ, non sanctitatis congregantur. Congregatio autem ex iustis istis & iniustis Ecclesia Catholica est, per vniuersum orbem diffusa. Rursus eadem doctrina, in stadio, inquit, victores & victi sunt: In corona verò, qui legitimè certauerunt. Stadium vocat Ecclesiam Catholicam, quæ est ingens domus Dei, quæ domus, sicut Apost. ait, sumus nos, qui per vniuersum orbem dilatati fidem accepimus, & communione Sacramentorum in vnum corpus Christi mysticum copulati sumus. Quare, qui extra Ecclesiam Catholicam, per cunctum orbem diffusam, est, extra corpus Christi mysticum est: extra arcam nauigat: extra stadium currit: extra regnum humanitatis Christi, in regnum nouum & cœleste vnctæ, vt, S. Athanasius ait, habitat. Dicam amplius, non solùm Aërianum esse Sadeelem, qui Episcopos Presbyteris æquat, sicut olim Aërius Hæreticus: Sed Manichæum. Non enim pudere debet, vt iterum cum Athanasio dicam, habere nomen eius, cuius non pudet tenere dogma. Neq; enim credit humanitatem Christi, sicut alter Manichæus, qui docet esse inuisibilem Ecclesiam Catholicam: Siquidem Christus humanitatem nostram assumpsit, id est, humanitatem Ecclesiæ Catholicæ: quæ si non est visibilis, neq; visibilis fuit humanitas Christi, quæ eadem est specie: & rursus, si visibilis*

Quomodo nunc secundùm scripturã, in regno Christi secundùm humanitatem, sint iusti & peccatores: & quod hoc regnũ Ecclesia Catholica visibilis est.

Quomodo, qui extra Ecclesiam est, in hoc sæculo extra arcã mysticam Noe nauigat, extra corpus Christi est, extra stadium currit, & extra regnum humanitatis Christi habitat.

Quomodo Sadeel non solùm Aërianus est, sed Manichæus.

*bilis fuit humanitas Christi, quam in atomo, id est, in Hypostasi diuina assumpsit, visibilis quoq; est Ecclesia Catholica. Si vniuersa Synagoga Iudæorum nunc in terra visibilis est, cur nõ erit vniuersa Christi in terris Ecclesia? Et si vniuersa multitudo Gentium Diabolum, qui inuisibilis est, colentium, visibilis est in terra; quare tota Ecclesia Christi in terra non est visibilis? immò, si Ecclesia tota colentium Deum ante Moisem in terra visibilis erat; habebat enim vnde à non colentibus, extrinsecus, & αὐθεντῶς discerneretur; & similiter tota Ecclesia sub Moise; quare tota Ecclesia Dei nunc non erit in terra visibilis? Sit ergo optio Sadeeli, vtrum velit, aut neget visibilem fuisse humanitatem Christi, & doceat cum Manichæo fuisse Christum hominem δοκήσει καὶ φαντασῶς, id est, apparuisse hominem falsa specie: aut concedat nobis visibilem esse Ecclesiam; quia Emanuel noster in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et sicut ait Aug. in lib. de vnitate Ecclesiæ c. 4. totus Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia: Sponsus & Sponsa, duo in carne vna. Sed vt hunc locum de Ecclesia Catholica visibili finiam, quia Sadeel testimonium Augustini, ex lib. de doctrina Christiana, ad se per cauillationem rapit, & secum facere nugatoriè contendit, & si satis, vt opinor, eum suprà redargui, & conuici, tamẽ recitabo hîc pauca libri eius de vnitate Ecclesiæ, contra Epistolam Tetiliani Donatistæ, in quo multis scripturæ S. testimoniis Ecclesiã Catholicam, per cunctum orbem diffusam, visibilem esse demonstrat, esseq; eam vnum corpus Christi, mixtum ex bonis & malis. Vt tandem C. V. ex beato Aug. intelligat, se extra Ecclesiam Catholicam esse, sicut idem Aug. extra Ecclesiam esse Donatistas, auctoritate verbi Dei cõuincit. Hoc enim, si C. V. semel intellexerit, haud quaquàm, vt antea dixi, vel vno die extra Ecclesiam Catholicam esse patietur, cùm, vt iterum dicam, millies legerit, extra Ecclesiam Catholicam non esse salutẽ; & illud item, quod Dominus in Euang. suo ait: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animæ*

*suæ?*

*sua? Quid igitur profuerit C.V. fuisse multis doctrinis cultũ & eruditum, quod paucissimis Regibus aut Principibus cõtigit; fuisse nobilissimum & potentissimum; & quod caput est, quid profuerit, natum esse in Ecclesia Catholica, & adoptatum à Deo filium, factumque regni cœlestis hæredem, ac cohæredem Christi, si ad Ecclesiam Catholicam, quæ C. V. genuit & peperit, non reuertitur? An non fuisset melius ei, secundùm sententiam Domini, non esse natum? Sed loquatur iam Augustinus: Sic enim incipit, cap. 2. Quæstio certè inter nos versatur, vbi sit Ecclesia, vtrùm apud nos, an apud illos, quæ vtique vna est, quam maiores nostri Catholicam nominârunt, vt ex ipso nomine, quia per totum est, secundùm totum, καθόλου Græcè dicitur: Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apost. dicit, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Hæc Augustinus. Ecce Illustrissime Princeps Ecclesia Christi Catholica per cunctum orbem diffusa, quæ electos & reprobos continet, vt, deinceps magis ac magis docebit, corpus Christi dicitur, & est c. 4: totus. Christus caput est, & corpus est, caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia: Sponsus & Sponsa, duo in carne vna. Et paulò pòst, quicunque credunt quidem, quòd Christus* IESVS, *ita vt dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est, resurrexit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum Patre vnum, & incommutabile verbum Patris, per quod facta sunt omnia, sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata, manifestum est, eos, non esse in Catholica Ecclesia. Si tota Ecclesia, quacunque diffunditur, Ecclesia Catholica est, ergò Ecclesia Catholica visibilis est: alioqui quomodo cognosci posset, quod istorum, quos dicit Augustinus, communio non est cum toto, quacunque diffunditur, si visibilis non est? rursus idem Aug. c. 6. postquàm probauit, quod dictum est in Genesi Abrahæ, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes, pertinere, interprete Paulo, ad benedictionem omnium*

Quàm apertè conuincat Aug. Ecclesiam Catholicam visibilem esse.

*Gentium*

*gentium in Christo, qui est semen Abrahæ, & eandem promissionem factam esse semini Isaac & semini Iacob, quod est Christus; subiungit; ecce quod auditis, erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem, & benedicētur in te omnes tribus Terræ & in semine tuo; date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est. Ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus, in hoc semine benedici, date hanc, aut furore depositò accipite non à me, sed ab illo ipso, in quo benedicentur omnes gentes. Hactenus Augustinus. Si, vt ostendamus esse nos in Ecclesia Catholica, & habere nos Ecclesiam Catholicam, & non potiùs esse nos ab ea alienos, ostendere oportet, communicare nos omnibus gentibus Christianis. Est igitur Ecclesia Catholica visibilis; vt enim visibile est, communicare nos omnibus gentibus, ita visibile est, esse nos in Ecclesia Catholica, & si visibile est, esse nos in Ecclesia Catholica, consequens est, visibilem esse Ecclesiam Catholicam, & paulò pòst interpretatur idem Augustinus, c. 49. Esa. de Ecclesia Catholica à Christo congreganda: deinde, inquit, quia omnes gentes adiungerentur Ecclesiæ, sequitur & dicit, circumspice vbiq; oculis tuis, & vide vniuersos, Vniuersi isti, quos dicit Prophe-*

Quomodo Esaias dicat Ecclesiã Catholicam visibilem esse oculis corporeis.

*ta, Ecclesiam Catholicam significant, de qua cùm dicit, circumspice oculis tuis, & vide vniuersos, clarè dicit Ecclesiam Catholicam esse visibilem. Item de eadem Ecclesia Catholica interpretatur illud Es. c. 52. Et patefaciet Dominus brachium suum sanctum, in conspectu vniuersarum gentium; & videbunt omnes nationes, vsq; ad vltima terræ salutem, quæ à Deo est. Hanc esse Ecclesiam Catholicam testatur Aug. contra Donatistas, qui eam negabant, licet alia ratione & caussa, quàm Sadeel negat: Sed nihil refert. Subiungit enim Aug. quis tàm surdus, quis tàm demens, quis tàm mente cœcus, vt hic tàm euidētibus testimoniis obloquatur, nisi, qui nescit, quid loquatur. Sadeelē depinxit nobis. Hic enim est tàm surdus, tàm demēs, tàm mente cœcus, vt Ecclesiã Catholicã ex omnibus gentibus, vsq; ad vltimũ terræ, iuxta verbum Domini congregatam, visibilem esse negat,*

quia

*quia nullus vno oculorum coniectu eam videat, tanquàm gregem in vno, non ita magno ouili, mirer, nisi Sadeel cauillationẽ hîc reperiat, quia dicat Augustinus, quis tàm cæcus mente, & non dixit: quis cæcus oculis corporis; mente enim dicet Sadeel, videre se Ecclesiam Catholicam, sicut videt τὸ καθ' ὅλου, id est, vniuersale generis vel speciei in mente; talem enim facit Ecclesiam Catholicam, de quo suo loco agam copiosiùs, cùm ad cauillationes eius non argutas, vt ipse fortasse putat, sed crassas respondebo. Redeo ad Augustinum, qui, cùm dixit, quis tàm mente cæcus, neminem existimauit tàm mente cæcum esse posse, vt Ecclesiam Catholicam negaret, oculis corporis videri posse, per cunctum orbem diffusam,* quia non posset vnus homo videre eam vno loco congregatam, nisi per somnium, *vt ait Sadeel, sed pergamus. Ait enim Aug. sed ad manifestiora veniamus. Certè sanctissimas nuptias in scripturis nouimus, Sponsum & Sponsam, Christum & Ecclesiam; vtrumq; descripsit Esa. Et paulò pòst: & peccata, inquit, eorum ipse portabit: ideò hæreditate possidebit multos. Et paulò pòst: quis ita surdus est, vt hæc non audiat? quis ita obtusus, vt nõ intelligat? quis ita cæcus, vt nõ videat? Ideò, inquit, ipse hæreditate possidebit multos. Quid est hæretici, quod de paucitate gloriamini? Si propterea Dominus noster Iesus Christus traditus est ad mortem, vt hæreditate multos possideret? Et, qui sint isti multi, vel quàm latè occupent terram, quæ sequuntur, audiamus. Ecce Illustrissime Princeps, de paucitate Donatistæ gloriabantur; quia extra Ecclesiam Catholicam per totum orbem diffusam erãt; quamuis fortasse plures erant tunc Donatistæ, quàm hodiè sint Lutherani, qui Confessionem Augustanam teneant; Licet Sadeel de propagatione sua ridiculè glorietur; Cùm dicit Augustinus de istis multis, quos hæreditate possessurum esse Christum prædixit Es. id est, de Ecclesia Catholica, quæ est hæreditas Christi, qui sint hi multi, & quàm latè occupent terram, an non dicit apertè visibilem esse? occupare enim terram ad corpora pertinet, & visibilis est corporum occupatio. Et paulò pòst; vnde autem multos filios esset habitura, consequenter adiungit Esa.*

» & ait, 54. Dixit enim Dominus, dilata locum tabernaculi tui, &
» aularum tuarum, fige, noli parcere, longos fac funiculos tuos, & cla-
» uos tuos confirma; adhuc in dextram, & sinistram extende, & ci-
» uitates desertas inhabitabis. Pertinetnè ad Ecclesiam Catholi-
cam inuisibilem dilatare locum tabernaculi, & aularum? & in-
habitare ciuitates desertas? an potiùs ad Ecclesiam Catholicam,
quæ cernitur per omnes mundi regiones & oras, ac fines diffusa &
dilatata? nonnè Sadeel cum scriptura pugnat, & Augustino,
cuius testimonio abuti voluit, contradicit? Subiungit Augusti-
» nus, quid dici adhuc manifestius exigendum est? ecce ex vno Pro-
» pheta, quàm multa, quàm clara? & tamen resistitur & contra-
» dicitur non cuiquam homini, sed Spiritui Dei, & euidentissi-
» mæ veritati; & tamen ab eis, qui nomine Christiano gloriari
» volunt, gloriæ Christi inuidetur, ne ista, quæ tantò antè de illo
» prænunciata sunt, credantur impleri; cùm iam non prænun-
ciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur. Videt C. V. af-
firmare Augustinum, Ecclesiam Catholicam à Prophetis prænun-
ciatam, ostendi, videri, teneri? At, cùm hoc dicit Augustinus,
nonnè dicit, Ecclesiam Catholicam in terra visibilem esse? Hæc
verò Ecclesia Catholica, quæ ostenditur, videtur, tenetur. Si quis
quærat, ex quibus constat, necesse est respondere & credere, constare
ex iis, qui, communione Sacramentorum visibilium, in vnum cor-
pus Christi copulati sunt. Hi autem partim electi sunt, quos Deus
nouit; partim reprobi, quos dies Domini declarabit. Copulatos au-
tem dixi esse in vnum corpus, propter communionem Sacramento-
» rum, vt idem Aug. ait. Pergit Aug. iam ergò pauca, inquit, de Psalmis
» audiamus: Dominus dixit ad me, filius meus es tu; ego hodiè genui
» te; postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessio-
» nem tuam fines terræ. Quis enim Christianus vnquàm dubitauit,
» hoc de Christo esse prædictum, aut hanc hæreditatem aliud, quàm
» Ecclesiam esse intellexit? & quia bonos & malos, intra eadem re-
» tia Sacramentorum erat habitura? Reges eos, inquit, in virga
ferrea;

Quomodo Sadeel cum scriptura, & cum Augustino, quē testem citauit, pugnat.

*ferrea; tanquàm vas figuli confringes eos, eadem quippe firma & in-* „
*flexibili iustitia boni reguntur, mali conteruntur. Hactenus Au-* „
*gustinus. Nonnè hic apertè testatur Augustinus, quod Sadeel negat,*
*Ecclesiam Catholicam esse ex bonis & malis mixtam, propter com-*
*munionem Sacramentorum? & hanc Ecclesiam esse hæreditatem*
*Christi visibilem, in qua videmus bonos virga iustitiæ regi, & ma-*
*los conteri? Deinde subiungit Aug. quid ad hæc dicturi sunt, quæ* „
*commemoraui ex lege, ex Prophetis & Psalmis de Christi Ecclesia,* „
*quæ toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare peruersi, quàm cō-* „
*municare correcti? Quid, inquam, dicturi sunt, vtrùm hæc falsa esse,* „
*an obscura? Sed falsa esse, non audent dicere: premuntur enim mole* „
*tantæ auctoritatis: Hæc ergo, cùm vera esse fateantur, impleri non* „
*posse contendunt, quasi aliud sit, Prophetiam crimine falsitatis ar-* „
*guere, quàm dicere, quæ prænunciauit non posse compleri: hoc enim* „
*est, non esse Prophetiam, sed potiùs Pseudoprophetiam. Hæc August.* Quæ ex Augustino in Sadeelē nō minùs, quàm in Donatistas quadrant.
*quæ in Sadeelem quoque quadrant, non minùs quàm in Donatistas;*
*Non enim negare potest Sadeel, quin Ecclesia Catholica diffusa sit, se-*
*cundùm Propheticas scripturas per cunctum orbem, sed negat Eccle-*
*siam Catholicam visibilem esse*, quia, *inquit*, nullus homo, nisi
per somnium videre potest Ecclesiam Catholicam con-
gregatam. *Quod nihil aliud est, quàm dicere, veram fuisse Pro-*
*phetiam de Ecclesia Catholica, per totum orbem diffundenda, sed*
*impleri non posse, quia non posit videri. Et paulò pòst, idem Au-*
*gustinus c. 9. Si adhûc obscura esse dicunt, & hinc ipsum caput au-* „
*diamus, verissimum demonstratorem corporis sui: (aduertendum* „
*est, hic corpus Christi vocare Augustinum Ecclesiam Catholi-* „
*cam, per totum orbem diffusam; de hac enim agitur) Cùm enim* „
*dixisset, inquit Augustinus, quia oportebat impleri omnia scri-* „
*pta in lege, & Prophetis, & Psalmis de me; tanquàm quæreremus,* „
*vtrùm in eo, quod dixit de me, illic intelligenda esset Ecclesia,* „
*propter id quod scriptum est: erant duo in carne vna, & non* „
*solùm de capite: Verumetiam de corpore, certa diuina oracula* „

„ teneremus; Sequitur Euangeliſta & dicit: tunc aperuit illis ſenſum,
„ vt intelligerent ſcripturas, & dixit illis; quoniam ſic ſcriptum eſt, &
„ ſic oportebat Chriſtum pati. Et paulò pòſt; vide quemadmodum de
„ corpore adiungat, quod eſt Eccleſia, vt nos, nec in Sponſo, nec in
„ Sponſa errare permittat, & prædicari, inquit, in nomine eius pœni-
„ tentiam & remiſſionem peccatorum per omnes Gentes, incipientibus
„ ab Hieruſalem. Quid hac voce veracius? quid diuinius? &c. Et pau-
„ lò pòſt; teneamus ergo Eccleſiã ex ore Domini deſignatam, vnde cœ-
„ ptura & quouſq; peruentura eſſet; cœptura, ſcilicet ab Hieruſalem,
„ & peruentura in omnes Gentes. Reſpondeat hîc Sadeel, an fides Con-
„ feſſionis Aug. nata anno triges. cœperit ab Hieruſalem, & peruene-
„ rit in omnes Gentes. Subiungit deinde Aug. ſic iam quisquis dixe-
„ rit, Hieruſalem non illam viſibilem ciuitatem intelligendam, ſed fi-
„ guratè poſitam, vt ſpiritualiter accipiatur tota Eccleſia æterna in
„ cœlis, & ex parte in terris peregrina; poteſt dicere etiam illud figu-
„ ratè dictum, quia oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die.
„ quod quisquis dixerit, neq; quoquo modo Chriſtianus habendus eſt.
„ Sicut ergo illud propriè poſitum eſt, ita & quod adiunctum eſt, de
„ omnium Gentium Eccleſia incipiente ab Hieruſalem. Expoſuit enim
„ Dominus hæc de ſe dicta eſſe in lege, & Prophetis, & Pſalmis; & vti-
„ que ipſa expoſitiò non potuit eſſe figurata, alioqui non eſſet expoſitio.
„ Deinde cùm Hieruſalem figuratè poſita & ſpiritualiter intellecta,
„ vniuerſam Eccleſiam ſignificat; quomodo vniuerſa Eccleſia incipit
„ ab vniuerſa Eccleſia; tanquàm Hieruſalem incipiat ab Hieruſalem.
„ Manifeſtum ergo eſt, propriè poſitum de illa ciuitate, vnde etiam
„ cœpiſſe probatur Eccleſia, etiam atq; etiam ipſo manifeſtante, & nul-
„ lam inſidiarum latebram calliditati hæreticæ relinquente. Hactè-
„ nus Aug. etiam Sadeeli cuniculos cauillationum hîc obſtruxit. Et
„ paulò pòſt: & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudæa &
„ Samaria, & vſq; in totam terram. Ecce & hîc manifeſtatum eſt,
„ vnde cœptura, & quousq; peruentura eſſet Eccleſia. Et paulo poſt:
„ Habeo manifeſtiſſimam vocem Paſtoris mei commendantis mihi, &

ſine

*sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam, mihi imputabo, si ab* „
*eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque* „
*aberrare voluero. Habes, Illustrissime Princeps, quàm multis testi-*
*moniis Propheticis & Apostolicis, & ipsius Christi verbis probat*
*Aug. vniuersam Ecclesiam, quæ vocabulo Græco dicitur Catholica,*
*intelligi, quæ visibiliter à ciuitate Hierusalem cœpit, & in cunctum*
*orbem progressa est, nõ inuisibiliter, vt Sadeel Hæreticus fingit. Ha-*
*bet etiam C. V. sic ab Augustino demonstratum, esse C. V. extra Ec-*
*clesiam Catholicam, quomodo demonstrauit, etiam esse extra Eccle-*
*siam Catholicam Donatistas: demonstrauit scilicet vtroq; genere de-*
*monstrationis, propter quid ex scripturis, & demonstratione quia*
*est, ex eo, quod non communicat vniuersæ Ecclesiæ, quæ sub cœlo est.*

## CAPVT DECIMVM.

*DE eo autem, quod idem Sadeel contendit, non esse Ecclesiam*
*Catholicam visibilem, de qua hactenus sermo fuit, vnum*
*corpus mysticum Christi, ex bonis & malis, propter commu-*
*nionem Sacramentorum, coagmentatum, pauca etiam, ex eodem li.*
*Aug. de vnitate Ecclesiæ, attingenda mihi sunt, vt, quo teste Sadeel*
*vincere voluit, eodem conuictum esse omnibus appareat. Sic enim*
*ait Aug. in eodem c. 11. nec enim nos ita dicimus, per totum orbem*
*diffundi Ecclesiam, vt in Sacramentis eius solos bonos esse dicamus,*
*ac non etiam malos, & eos etiam multò plures, vt in comparatione*
*eorum pauci sint, cùm per seipsos ingentem numerum faciant. Habe-* „
*mus innumerabilia testimonia, de commixtione malorũ cum bonis,* „
*in eadem communione Sacramenti, sicut Iudas ab initio malus, inter* „
*bonos vndecim, conuersatus est. Est in Canticis Cant. quod de sancta* „
*Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio* „
*spinarum; ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat* „
*spinas, nisi propter malignitatem morum? & easdem vnde filias,* „
*nisi propter communionem Sacramentorum? Et paulò pòst: Est &* „
*alia similitudo aptissima de cõmixtione bonorum & malorum, intra* „

Quomodo multiplici testimonio Augustini conuincitur, Ecclesiam Catholicam esse vnum corpus Christi mysticũ ex bonis & malis, propter cõmunionem Sacramentorum, cõflatum.

» eandem Sacramentorum communionem & connexionem, quam
» Dominus ipſe ponit, & exponit. Simile eſt, inquit, regnum
» Cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, quæ congregat omnia genera piſci-
» um. Cùm autem eſſet impleta, eduxerunt eam ad littus, & ſeden-
» tes elegerunt optimos in vaſa ſua: malos autem foràs miſerunt. Sic
» erit in conſummatione ſeculi, &c. Deinde ſubiungit: nulla ergò
» malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquàm
» retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines
» non pertinentes ad regnum Cœlorum in Sacramentorum conſor-
» tio patiantur, quandoquidem, cùm ad littus, id eſt, ad finem ſæculi
» ventum fuerit, fiet debita ſeparatio, non humana temeritate:
» ſed diuino iudicio. Si congregatio vnitatis eſt, vt ait Pater Au-
guſtinus, quæ intra ſe bonos & malos, propter communionem Sacra-
mentorum, continet; eſt igitur iſta congregatio, quæ eſt Eccleſia Ca-
tholica, vnum corpus Chriſti, ex viuis & mortuis membris. vnum
dico, myſticè, propter vnitatem myſteriorum ſiue Sacramentorum
Chriſti. Deinde ſicut regnum Cœlorum ſignificat hìc ſecundùm ad-
uentum, ſic ſagena ſignificat Eccleſiam vniuerſam, ſiue Catholicam,
quæ eſt vnum corpus Chriſti & non duo. Vna enim eſt, quæ bonos
& malos continet; & ſicut vna Eccleſia eſt, ita vnum corpus Chriſti
eſt. Satis hæc ſint, ne plures paginas Aug. tranſcribamus. Reſpondeat
Sadeel. ſi quid habet, præter cauillationes craſſas & futiles, ac ridicu-
las, & fatuas, & denig; hæreticas. Fortaſſe legit hæc Sadeel, imò to-
tum librum Auguſtini, ſed non intellexit, quia non credit; niſi
enim crediderit is, inquit Propheta, non intelligetis. Quare, ne
idem eueniat C. V. neceſſe eſt vt credat. Credet autem, ſi fidem pe-
tat à Domino: Si quis enim indiget ſapientia, ait Iacobus frater Do-
mini, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & neminì inpro-
perat. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans; & ne audiat Sadee-
lem, qui, quia non vult credere ſcripturis, quas ad probandum Ec-
cleſiam Catholicam eſſe viſibilem producimus, ſemper venatur
cauilla-

cauillationes, non intelligens quid dicat, neque de quo affirmet. Contraistum & similes ait Chrysostomus in Homil. in illud. In principio erat verbum, τίς ἐξέβαλε τὸ κήρυγμα τῆς πίστεως καὶ εἰσήγαγε τὴν ἀπιστοζήτησιν; quis, inquit, excluſit prædicationem fidei, & introduxit inquisitionem sine fide? & paulò antè, non didicimus quærere, sed didicimus credere. Non improbat studium quærendi. Absit: Sed quærere vetat, vbi opus est credere, & quæstiones anteponere fidei. Traditum est hoc à S. Apostolis secundùm scripturas, vt credamus Ecclesiam Catholicam diffusam esse per cunctum orbem, & hanc esse hæreditatem, & regnum Christi, secundùm humanitatem, promissum Regi Dauid, quod posteà transferendum est in Cœlum, cùm tradet illud Deo & Patri, sicut Apostolus ait, interim oportet illum hîc regnare. Et sicut traditum est hoc, ita à nobis, sine quæstionibus & disceptationibus, credi voluerunt. Hyppolyt. Martyr, in Homilia contra Nætum, μὴ κατ' ἰδίαν προαίρεσιν μὴ δὲ κατ' ἴδιον νοῦν μὴ δὲ βιαζόμενοι τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ δεδόμενα, ἀλλ' ὅτον τρόπον αὐτὸς ἐβούλήθη διὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δηλῶσαι, οὕτως ἴδωμεν, id est, ne ad voluntatem nostram, neuè priuato sensu, neque, quæ à Deo data sunt, violenter interpretemur, sed potiùs, quemadmodum ille voluit demonstrare per sanctas scripturas, sic intelligamus. Statim hîc occurret Sadeel, dicetque se hoc facere, & hoc à nobis velle fieri, qui tamen sine fide putat, se intelligere posse scripturas; cùm Propheta dicat, nisi credideritis non intelligetis. Quin potiùs ex illis hæreticis est, quos Apostolus vitare iubet: quia, inquit, huiusmodi subuersus est, & proprio iudicio damnatus, quia scilicet, neque ad parendum cùm audierit, neque ad resipiscendùm cùm didicerit, paratus est, solicitus tantùm, ne ab iis, quos in errorem induxit, condemnetur si tacuerit. Sic enim hunc locum interpretatus est beatus Athan. in Epistola ad Serapionem. Item Gregorius Neocæs. in Confessione fidei, quam conscripsit,

δεῖ δὲ τοῖς θείοις καὶ ἀποστολικοῖς δόγμασι ἕπεσθαι τὰς ἡμετέρας ἐννοίας, καὶ τὰς ἡμετέρας ἀδυνάτους φαντασίας τῆς θείας πίστεως βιάζεσθαι δόγματα. *oportet, inquit, vt nostræ notiones diuina & Apost. dogmata sequãtur, non autem vt nostræ fictiones ea, quæ fidei sunt, per vim flectant. Hoc facit Sadeel, licet neget, cùm fingit Ecclesiam Catholicã esse inuisibilem, quod nemo vnquàm ex Ecclesiasticis Patribus dixit, aut producat vnũ tantùm testem. Hoc autem fingit, ne ipse cum aliis suis extra Ecclesiam esse videatur, vt est. Quis enim, si Ecclesia Catholica inuisibilis est, vllum hæreticum, aut vllum anathematizatum non hæreticum extra Ecclesiam esse, videre poterit? Non enim, qui excommunicatur, ex Ecclesia particulari tantùm eiicitur; nam particulares Ecclesias visibiles esse confitetur Sadeel; Sed ex omnibus mundi Ecclesiis, ac proinde ex Ecclesia Catholica, per cunctum orbem diffusa eiicitur, secundùm Canones Apostolorum 9. & 23. qui iubent, vt excommunicatus ab vno Episcopo, ab alio non recipiatur, quos Canones vsque in hodiernum diem, omnes Ecclesiæ secundùm traditionem Apostolorum religiosissimè seruant, & semper seruauerunt. Ita fit, vt, qui ex vna Ecclesia particulari eiectus est, ex omnibus mundi Ecclesiis, id est, ex Ecclesia Catholica sit eiectus. Quid enim prodesset eiici ex vna quapiam Ecclesia, si ab alia recipi posset? Cùm verò, qui in vna Ecclesia excommunicatus est, videre potest, se esse in omnibus Ecclesiis Christianorũ excommunicatum, siquidem cum nulla Ecclesia totius mundi communionem habebit, nisi mentiatur, & Ecclesiam fallat, fidem suam cælans, tunc euenire potest ei, quod illi Corinthio incesto euenit, qui tantum dolorem cæpit, ex Ecclesia sua eiectus, & à plurimis obiurgatus, vt necesse esset, vt Paulus iuberet Corinthiis, qui eius congressum, & communionem vitauerant, vt eum reciperent, & confirmarent in eum charitatem, ne abundantiore, inquit, tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Exeat igitur Sadeel ex Germania, & cùm omnes Ecclesias peragrauerit, modò fidem suam nouam non cælet, tunc intelliget, vtrum ex Ecclesia Catholica visibili, an inuisibili eiectus sit. Certè ex inuisibili eiectum*

Quòd is, qui in vna Ecclesia excommunicatur iustè, ex omnibus Ecclesiis eiicitur, ac proinde ex Ecclesia Catholica.

Quomodo, qui Ecclesiam Catholicam inuisibilem faciunt, traditionem Apostolicam de excommunicatis ex omni Ecclesia eiiciendis frustrantur.

ctum, neq; se videre poterit, neq; ab alio videri. Quam igitur vtilitatem afferet, tum sibi, tum aliis, qui eum ex Ecclesia visibili iectũ, nõ magis videre poterunt, vt caueant ipsi, & alieno exemplo discãt, quàm ipsemet iectus & excommunicatus? Quis enim sit in Ecclesia illa Catholica inuisibili Sadeelis, aut, quis est ille iectus inde & excommunicatus, solus Deus videt. Idcirco, Illustrissime Princeps, hunc locum premo & vrgeo, vt C. V. non patiatur ampliùs, vt sit extra Ecclesiam, memor eius, qui dixit; Vigilate quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit, ne, cùm venerit dies Domini, sicut Apost. ad Thes. scripsit, sicut fur in nocte, extra Ecclesiam reperiatur. Hoc autem ne contingat, petat ab Ecclesia Romana, cuius fides, sicut Paul. ad Rom. scripsit, annunciatur in vniuerso mundo, Episcopum, qui ordinet Presbyteros: Qui enim ex ordinatione Lutheri profecti sunt, vt antea ad C. V. scripsi, tam Laici sunt, quàm est C. V. licet Antonius Sadeel Aërianus neget, qui Episcopos Presbyteris æquat, sicut Aërius Hæreticus olim ab Ecclesia damnatus, & in eo nouus Aërius Sadeel iuxta præscriptionem Tertulliani de hæresi noua, vel potiùs renouata, & iam olim in antiquis hæresibus, vt illius verbo vtar, prædamnata. Hoc demum addam, cùm non sit dubitandum, quin hæresis Lutheri finem tandem habitura sit, vt habuit Arrij, Nestorij & Eutychis, & aliorum, ne omnes enumerem: & quantum, ex multiplici eius in varias sectas diuisione, coniecturam facere licet, occasus eius appropinquat, & propè est tempus, cùm Dominus conuertet, sicut Malachias de Elia Prophetauit, cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, id est, cùm erunt omnes per Germaniam vna fide in vnum copulati, cui magis gloria hæc debetur, vt sit, velut alter Zorobabel Dux & Princeps, reditus ex Dominatu Tyrannico fidei Lutheri, tanquàm ex captiuitate quadam Babylonica, quam tanto Principi, qui ad laudem hæreditariam & splendorem, ac dignitatem clarissimi generis & antiquissimæ familiæ, laudem propriam literarum multarum, virtute & industria sua partam adiunxit, præsertim cùm, qui mentiri non potest, Dominus Iesus dixerit; cui multum

*datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plùs petent ab eo. Audi Illustrissime Princeps Dominum dicentem C.V. sicut olim dixit Iosuæ viro fortissimo: Confortare, & esto robustus, nullus poterit resistere tibi cunctis diebus vitæ tuæ, sicut fui cum Maioribus tuis, sic ero tecum; non dimittam, neq; derelinquam te. Pro anima tua, ait Ecclesiasticus, ne erubescas confiteri verum; est erubescentia adducens peccatum: & est erubescentia adducens gloriam & gratiã. Audiat C. V. Dominum in Euangelio Lucæ dicentem: Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. De Sadeele verò & iis, qui eandem hæresin defendunt & docent, nihil aliud hoc loco dicam, quàm quæ Magnus Athan. in eos, qui hæresim Arij defendebant, in Epis. ad Adelphiũ Catholicũ scripsit, recitabo Græcè, quia Sadeel Græcis delectatur, si fortè eum Græca moueant,* ὅθεν μὴ καταλευσθῶσαν τῶν θεῶν γραφῶν, μὴ δεῖ σκανδαλιζέτωσαν ἀκεραίους τῶν ἀδελφῶν, ἀλλ' εἰ μὲν βούλονται μεταγινωσκέτωσαν καὶ αὐτοὶ. εἰ δὲ ταῖς ἀσεβείαις αὐτῶν ἐμμένειν θέλωσι μόνοι τάττων ἐμφορείσθωσαν καὶ τριζέτωσαν ἑαυτῶν τοὺς ὀδόντας, κατὰ τὸν πατέρα αὐτῶν τὸν διάβολον. καὶ οἱ Ἀριομανῖται διαῤῥηγνύωσι ἑαυτούς. *Interpretemur Latinè ad verbum. Quare ne cõtra scripturas mẽtiantur, neq; simplices fratres scandalizent, quin potiùs si volũt, ipsi etiam pœnitẽtiam capiant: Sin verò in impietate sua perseuerare malunt, in eam se ingurgitent, strideant dentibus suis, sicut pater eorum Diabolus, & rumpant se Ariani. Dicamus nos similiter in Sadeelem Aërianum, si perseuerare vult, rumpat se cum Aërianis. C.V. sinat eos valere, id est, sinat eos rumpi, & audiat Dominum dicentem sancto Loth: In monte saluũ te fac, ne & tu simul pereas. Mons est Ecclesia Catholica, per cunctum orbem visibilis. Interim precabor à Domino C.V. & Apostolus Ephesiis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ det vobis, Illustrissime Princeps, Spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, Amen.*

AD

# AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM ETC. EIVSDEM FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV TRACTATVS SECVNDVS, contra eiusdem Antonij Sadeelis repetitas cauillationes.

## CAPVT PRIMVM.

*HACTENVS hactenus, vt opinor, tota Sadeelis ad C. V. Epistola à me cõfutata est, pergã confutare reliqua, quæ Epistolæ adiunxit, antequàm ad respõdendum libro meo accederet, quæ magis præseferunt pompam, & speciem docentis, quàm dimicationem disputantis, & quia propositum est mihi, quàm breuissimè potero, respondere Sadeeli propter simpliciores, qui eum fortasse legunt; multa necesse erit præterire, quæ ad rem, de qua disceptamus, id est, de Ecclesia Catholica, & eius capite, & ministris Ecclesiæ, non pertinent. Principiò proponit tres Syllogismos suis verbis formatos, & ex libro meo, vt ipse confitetur, collectos. Primus;* Quicquid est forma essentialis Ecclesiæ Apostolicæ, id perpetuum esse debet in Ecclesia Apostolica; Hæc dispositio Ecclesiæ, vt Ecclesia Apostolica habeat Apostolos, (*addere debuit, aut successores Apostolorum Episcopos; ipse enim, vt dixi, suis verbis fabricauit Syllogismos*) & in iis vnum Principem, est forma essentialis Ecclesiæ Apostolicæ: Quare eiusmodi dispositio Ecclesiæ perpetua esse debet, & vi consequentis vnum est Caput visibile totius Ecclesiæ Catholicæ; nempe, Pontifex Romanus, Petri successor. *Postquàm multa, tanquàm de Cathedra docens, magis quàm disputans, dixit: Notanda esse, & animaduertenda ad soluendum Syllogismum, &*

*poſtquàm multa ſumpſit, neq; à ſe probata, nec ab aduerſario conceſſa, tanquàm in regno ſuo, reſpondet tandem ad Syllogiſmum, inquiens:*

„ *iam excutio Syllogiſmum collectum ex Turriani diſputatione.* Ma-
„ ior propoſitio habet inſidias in vocabulo Eccleſiæ Apoſto-
„ licæ: nam Apoſtolicæ nomine intelligit eam diſpoſitionem
„ exteriorem, quæ primùm apparuit in Eccleſia Chriſtiana,
„ & cùm ea diſpoſitio ſit accidens, vt diximus, non poteſt eſſe
„ forma eſſentialis Eccleſiæ Chriſtianæ. *Non auſus eſt dicere, Maior propoſitio eſt falſa: ſed, habet inſidias, neſcio quid aliud dicere voluerit, niſi cauendum eſſe, ne concedatur; cogitur tamen concedere, quia illa diſpoſitio forma eſt, non quidem ſubſtantialis: Non enim ſubſtantia eſt, ſed eſt accidens, vt Sadeel dicit, ſicut forma domus accidens eſt, & non ſubſtantia. Eſt tamen in vnoquoq; ſimilitudo rationis, vt Philoſophus in 7. Metaph. ait, in ſubſtantia ſcilicet & in forma, quæ accidens eſt, quæ dat eſſe ei, cuius forma eſt; ſicut eſſe tutamen, quod ab imbribus & ventis defendit, forma domus eſt, quæ dat ei eſſe, ad ſimilitudinem formæ ſubſtãtialis. Errat igitur Sadeel, cùm*

Quomodo Sadeel nouo modo, & inaudito Philoſophatur; quod mihi falsò obiiciebat.

„ *ſubiungit*: Itaq; Turrianus nouo modo & Philoſophis inco-
„ gnito, confundit formam eſſentialem rei, cum forma exte-
„ riore accidentis in re ipſa. *Immò Sadeel nouo modo* Philoſo-
„ phatur, cùm formam Eccleſiæ *Chriſtianæ ſubſtantiam eſſe pu-*
„ *tat, alioquinõ* diceret, cùm ea diſpoſitio ſit accidens, non po-
„ teſt eſſe forma eſſentialis Eccleſiæ Chriſtianæ, *quia ſic Eccleſia Chriſtiana per ſe eſſet, & non potiùs per accidens, ſicut homo albus, vt ex Ariſt. in 5. & 7 primæ Philoſophiæ diſcere potuit; nec enim eſt idem eſſe homini & homini albo; ſed, eſſe homini albo, eſt albedo in homine. Similiter de hominibus, qui ſunt Eccleſia Chriſtiana, dicendum eſt. Deinde, ſi forma, quæ dat eſſe ei, cuius forma eſt, licet accidens ſit, eſt ei* τὸ τί ἦν εἶναι, *id eſt, quidditas eius, quamuis non primò; Quidditas enim & hoc aliquid primò ſubſtãtiarum eſt, deinde aliorum prædicamentorum; cogitur Sadeel concedere diſpoſitionem Eccleſiæ Apoſtolicæ, eſſe formam eius & quidditatem; aut ſi nõ concedit,*

dit, negat consequenter contra veram Philosophiam formas omnes, quæ accidentia sunt, cuiusmodi sunt omnes formæ artificiosæ, esse quidditates eorum, quæ arte fiunt. Itaq;, qui sic definit limen: limẽ est lignum sic situm, non existimat, vt Sadeel aut dolosè, aut nescienter fingit, proposuisse formam substantialem ligni, sed accidentalem, quæ dat esse limini, non autem ligno. Sed quia me Sadeel reprehendit, quòd sæpe vtor Aristotele, dum cum eo disputo. Sciat Paulum Apostolum non Philosophiam damnare, sed inanem Philosophiam, in Epist. ad Col. qualis est, qua Sadeel Hæreticus vti nititur impiè ad euertendam fidem, & qua Eunomius & Aetius vtebantur ad probandum, Filium & Spiritum esse creaturas, & non esse Christũ ex Deo, in quos Chrysost. in Homil. in illud, In principio erat verbum. quis, inquit, excandescens, Aristotelica, quis Platonem Euangelio anteposuit? hoc etiam Apollinarius, & Nestorius ac Seuerus vtebantur, contra duas Christi naturas in vna hypostasi vnitas. Dionysius Areop. in Epist. ad Titum, Theologiam distinguit in Philosophicam, quam vocat etiam demonstratiuam, & in mysticam. In Theologia Philosophica & demonstratiua floruit, & omnibus antecelluit spectatissimus Theologorum S. Thomas, mirabiliter Aristotelica Philosophia tanquàm ministra & famula, ad studium & commentationem diuinæ scientiæ vsus. Fuit enim Philosophia, sicut reliquæ disciplinæ, donum Dei, vt Clemẽs Alex. in primo libro Stromatum docet, quæ licet, vt idem ait, non comprehendit magnitudinem veritatis, & est infirma ad perficiendum mandata Dei, At προπαρασκευάζει τῇ βασιλικωτάτῃ ἀληθείᾳ τὴν ὁδόν, id est, præparat viam veritati regiæ, castigans quodammodò, & præformans mores, ac præmuniens ad capiendam veritatem. Sed hæc obiter. Redeo ad Syllogismum, quem cum duobus aliis optandum mihi fuit, vt Sadeel construeret & fabricaret, ne quid formæ Aristotelicæ & Geometricæ in eis desideraret, vt à se factis; ne, si ego eos construxissem, continuò aliqua Sophistica cauillatione in eos inuasisset. Pergit Sadeel. Minor propositio in multis peccat. Primus error, quòd formam illam exteriorem

Quomodo cogatur Sadeel, cõcedere dispositionem Ecclesiæ Apostolicæ, esse formam eius essentialem.

Quæ Philosophia damnanda sit, & quæ non.

» teriorẽ Eccleſiæ, quæ fuit Apoſtolorum temporibus, cùm
» multis de cauſſis extraordinaria fuerit, exiſtimet fuiſſe or-
» dinariam. *Dicit Parmenianus, ſed non probat, quia ſatis eſt ei, pro ſua auctoritate, vt dicat; ſiquidem oportet diſcentes credere, vt princeps Philoſophorũ in Topicis dixit. Sed probabo ego verbo Dei, quod ſemper Sadeel iactat, & nunquàm profert, ordinariam fuiſſe, cùm ait Apoſt. in Epiſt. ad Cor. priore: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte; & quoſdam quidem poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecũdò Prophetas, tertiò Doctores; & quæ ſequũtur. Si forma illa, quæ fuit temporibus Apoſtolorũ, extraordinaria fuit, vt ait Hæreticus, neceſſe eſt, vt fuerit prius in Eccleſia alia forma ordinaria; prius enim eſt ordinariũ, quàm extraordinariũ, cùm extraordinarium priuationẽ extraordinarij deſignet, ſicut ordinatũ priùs eſt, quàm à quo ab ordine diſcedit. Interrogetur igitur Sadeel, quando fuit priùs forma ordinaria, vt locum habeat iſta extraordinaria, quam Somniator fingit? Quod, ſi nõ fuit, quia eſſe nõ potuit, reſtat, vt, aut nulla fuerit forma iſta Eccleſiæ data contra Apoſtolũ, aut fuerit ordinaria contra Hæreticũ. Sed videamus adhuc de hac forma, in Ep. ad Epheſ. in qua Spiritus S. Hæreticum iſtum confundit; idem enim hîc dicit Apoſt. ſicut in Epiſt. ad Cor. dixit: Corpus Chriſti eſtis vos, & membra ex parte. In Ep. ad Eph. dixit; Vnum corpus, ſcilicet Chriſti, non dixit, duo corpora, ſed, vnum corpus. Nec enim exiſtimandum eſt, ſolis electis dixiſſe hoc. Quis enim credat, in Eccleſia Corinthiorum non niſi electos fuiſſe? quod ſi erant etiam reprobi, & omnibus ſcribit; Omnes igitur erant vnum corpus. Et ſi in Eccleſia Corinthiorum omnes erant vnum corpus Chriſti, teſte Paulo Apoſtolo, qui eos vocat vnum corpus: Conſequens eſt, omnes Chriſtianos per vniuerſum orbem, ſimiliter vnum corpus Chriſti eſſe. Quod autem ſequitur; Vnicuique autem data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis eius; vnicuique fidelium datum eſt chariſma fidei; vna enim fide, & vno baptiſmate vniuntur omnes in vnum corpus Chriſti, cuius membra ſinguli efficiuntur, de hoc ipſo chariſmate fidei, quod*

Quomodo probetur auctoritate verbi Dei, quòd forma Eccleſiæ, quæ fuit temporibus Apoſtolorum, ordinaria fuit, & non extraordinaria, vt Hæreticus ſomniat.

Quomodo omnes Chriſtiani, per cunctum orbem, vnum corpus Chriſti ſunt.

quod datur vnicuiq; secundùm mensurã donationis. Dixit idẽ Apost. in Ep. ad Rom. Vnicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sequitur deinde, propter quod dicit, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et paulò pòst: & ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdã autem Prophetas; alios verò Euãgelistas: alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Et quæ sequuntur. Nõ negabit Sadeel, quin Apostolus cùm dixit. Propter quod ascendẽs in altum, captiuam duxit captiuitatem; dedit dona hominibus: & posteà dicit: & quosdã quidem dedit Apostolos: quosdam autem Prophetas: alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, &c. Non, inquã, negabit Sadeel, quin Apostolus inter dona, quæ Christus ascendens in altum, & mittens Spiritum S. dedit, quæ Græcè dicuntur δόματα, numeret Apostolos, Prophetas, Euãgelistas, Pastores & Doctores. Horum enim munera, siue ministeria vocauit Apostolus, vt dixi, δόματα, interpres Latinus vetꝰ, vertit dona. Differunt autem δόμα & δῶρον, vt S. Maximus in responsis ad quæstiones Thalassij notauit, quod δόμα inquit, datur indigentibus; δῶρον verò non indigentibus. Vnde sic, inquit, consueuerunt appellari δῶρα, quæ dantur Regibus. Si igitur dedit Deus Ecclesiæ, tanquàm indigenti hos ministros, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, An nõ indiget iam Ecclesia, vt sint superuacui horum, quos dedit, successores? Si indiget: non enim audebit dicere Sadeel nõ indigere: quare eos Ecclesiæ inuidet, cùm eos tollit crudelis Hæreticus? Præterea, cùm horum gradus & potestates, ac munera Charismata sint, quæ dona vocantur; sine pœnitentia verò sunt dona, & vocatio Dei, vt Paul. ad Rom. scripsit, quare ea tollit Sadeel, quasi pœnituerit Deum dedisse? Postremò, si dati sunt isti ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, & semper ædificatur, & ædificabitur corpus Christi, quomodo, qui erãt dati ad talem finem, antequàm impositus sit finis ædificationi corporis Christi, antequàm

Interpretatio loci Epist. ad Eph. ascendens in altum, dedit dona hominibus & quid differant δόμα & δῶρον.

Sadeel Aërianus ab Aërio Hæretico, qui Presbyteros æquabat Episcopis.

*antequàm perducta ijt ad extremum consummatio sanctorũ, antequàm absolutum sit opus ministerij, tolluntur à Sadeele? Scio, reperiet hìc cauillationes Sadeel, sed indecoras, incredibiles & facilè refutabiles, vt S. Athan. de Arianis, qui vna litera ab Aërianis, ex quibus est Sadeel, differunt. Redeo ad Syllogismum:* Secundus error in Minore, *inquit Sadeel,* quòd putet exteriorem formam ordinariam, esse formam essentialem Ecclesiæ. *Hoc quoque, quia mendacium est, dicit tantùm, vt Parmenianus, & non probat. Quomodo enim probaret mendacium, nisi mentiendo? Dixi iam paulò antè formam ordinariam Ecclesiæ Apostolicæ noui Testamenti; de hac enim nunc sermo est, esse formam, quæ accidens est, quæ dat esse Ecclesiæ sic dispositæ, & est quidditas eius, sicut esse lignũ sic sitũ, forma acccidẽtalis est liminis, quæ est quidditas eius, & ꝓbaui errorẽ esse Sadeelis, cõtra Philosophiã, quam modò spernit & obiicit, modò laudat, in vtroq; vacillãs, quòd existimet Ecclesiam sic dispositam esse substantiam, ac per se esse, quod non magis verum est, quàm hominem album substantiam esse, & per se esse. Quod si non est per se, quomodo potest habere formam substantialem siue essentialem.* Tertius error, quòd loco formæ illius exterioris, quæ fuit Apostolorum temporibus, nouam ille formam supponit, cùm nobis profert suum Pontificem Romanum, suis Cardinalibus, Archiepiscopis, & reliquis eiusmodi cohortibus septum. *Hoc quoq; dicit tantùm, suo more Sadeel, quia aliter probare non potest. Cur enim si potest, non probat? ne semper ei obiiciatur probatio Parmeniani, qui dicebat tantùm, sicut Sadeel facit? Sed hoc peius adhuc est, quòd non satis est negare verum, quod dicimus; nisi simul fingat, quod non dicimus. Non enim nouam formam suppono, vt ait, loco illius formæ exterioris, quæ fuit temporibus Apostolorum.*

De continuatione formæ Ecclesiæ nostræ Catholicæ per successionem Apostolorum in Episcopis.

*Est quidem loco illius forma nostræ Ecclesiæ, non tamen supposita, sed vera: neq; noua, id est, à nobis facta, sed quæ cœpit ab Apostolis, & per successionem eorum continuata est, & ad nos perducta. Hoc tantùm verè hìc dixit Sadeel, quod loco illius; hoc enim successionem declarat.*

rat. Sed, quia Sadeel suum mendacium non probat, quia non potest: probamus nos nostram veritatem, quia probationes suppetunt. Dixi paulò antè, & probaui, quæ Deus semel donauit Ecclesiæ, misso Spiritu S. de Cælo, tanquàm indigẽti ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurremus omnes in vnitatem fidei, quæ, inquam, donauit: quosdam scilicet Apostolos, alios autem Prophetas, alios Pastores & Doctores, ea necessariò manere in Ecclesia; per successionem scilicet, quia aliter fieri non patitur natura mortalis. Adiungam nunc alia, si priùs quæram à Sadeele, vt dicat, quare de Pastoribus, & de Doctoribus in Ecclesia sua falsi nominis glorietur? quem locum habet scripturæ ad probandum eos? Interrogetur, an putet pertinere ad eos locum Apostoli, in Epist. ad Eph. cùm ait: alios Pastores & Doctores: non credo negabit. Mox vrgebimus per cunctationẽ: Quare ergo ex loco Pauli, qui continet Apostolos & Prophetas, & Euangelistas, Pastores & Doctores, hos vobis eligitis, illos repudiatis? An non poterant remanere successores Apostolorum, sicut remanserunt successores Pastorum? Aut confitebitur Sadeel, non esse Pastores, Confessionistas, successores Pastorum, quos Apostoli Ecclesiis præficiebant? Non credo confitebitur, ne simul confiteatur, non esse à Christo donatos: sed à Confessionistis tantùm creatos: Hoc enim sequi necesse est. Si ergo remanere potuerunt successores illorum, quos negatis, sicut remansisse dicitis successores Pastorum, quos vos habere putatis, cùm nullum locum scripturæ habeatis ad probandum, non remansisse, & nos contrà locum Apostoli habeamus, qui testatur dedisse illos, sicut dedisse Pastores, & Ecclesiæ per cunctum orbem testẽtur; siquidem habent Archiepiscopos & Episcopos, qui successores sunt Apostolorum & Episcoporum, quos Apostoli ordinauerunt; Igitur remanserunt successores Apostolorum & Prophetarum, id est, Episcoporum. Dixi & probaui in lib. de Hierarchicis ordinationibus ministrorũ Ecclesiæ, quare & vbi Episcopi vocentur Prophetæ. Deinde si interrogetur Sadeel, quare Pastores vocant, quod verbum semel tantum in Epist. ad Eph. de ministris

Quomodo cogantur Confessionistæ confiteri, Pastores suos successores esse Pastorum, quos Apostoli Ecclesiis præficiebãt, & si non sunt, quia meri Laici sunt.

Quare Confessionistæ Pastores suos noluerunt appellare Episcopos.

*ſtris Paſtoribus dictum reperitur, & non Epiſcopos, cùm hoc nomen de miniſtris Eccleſiæ, in Epiſt. ad Timoth. & Ep. ad Titum, & ad Philippen. & in Actis Apoſt. dictum legatur? Sanè quidem non fuit alia cauſa, quàm vt nouam formam Eccleſiæ ſine Hierarchia efficerent; videbant enim in Eccleſia noſtra, per cunctum orbem diffuſa, Epiſcopos eſſe Capita Eccleſiarum, quibus Presbyteri minores Paſtores, quos Parochos vocãt, & reliqui Clerici ſubiecti ſunt, & ab illis iudicantur, ſicut Apoſt. teſtatur, cum Timotheo Epiſcopo, ne aduerſùs Presbyterum accuſationem recipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Conſtat autem eum, qui iudicat, maiorem eſſe eo, qui iudicatur. Ipſi igitur teſtantur in noſtris Eccleſiis, quæ per cunctum orbem propagatæ ſunt, Epiſcopos eſſe maiores Presbyteris, ſiquidem noluerunt nomen Epiſcopi, ne poteſtate maiorem agnoſcerent. Præterea, cùm conſtet, fuiſſe in lege Hierarchiam Moſaicam, in qua caput erat Moiſes, quem diuinus Dionyſius, Pauli diſcipulus, & ex baptiſmo filius, vocat in Eccl. Hierarchia* πρῶτον τῶν κατὰ νόμον ἱεραρχῶν μύσταγωγὸν καὶ ἡγεμόνα, *id eſt, Magiſtrum & Ducem Principum Sacerdotum ſecundùm legem. Lex verò, ſicut Apoſtolus ait, habebat vmbrã futurorum bonorum; & rurſus idem Apoſt. in eadem Epiſt. ſicut, inquit, reſponſum eſt Moiſi, cùm conſummaret tabernaculum, inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte, vbi omnia, quæ ſecundùm legem fiebant, vocauit typum. Eſt igitur Hierarchia in nouo Teſtamento, cuius Hierarchiæ illa vetus Moſaica, vmbra erat. Hanc Hierarchiam, id eſt, Eccleſiaſticam, dicit idem Dionyſ. ibidem, eſſe mediam inter illam Moſaicam & Angelicam. Ac cum hac quidem Angelica communionem habere in ſenſu ſpirituali; cum illa verò Moſaica in Symbolis ſub ſenſum cadentibus. Quare, ſicut in illa erat primus Magiſter, & Dux omnium Hierarchiarum, ſic in Hierarchia Eccleſiæ Apoſtolicæ neceſſe eſt, vt ſit vnus Princeps Hierarchiarum, id eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, qui eſt ſucceſſor beati Petri Principis Apoſtolorum. Sed hic continuò occurrit Hæreticus, & dicit, hunc eſſe Chriſtum, eiuſq; typum Moiſen fuiſſe.*

Quomodo Hierarchia noui Teſtamenti media ſit inter Moſaicam & cœleſtẽ, auctore Dionyſio Areop.

*Sed*

*Sed rursus vetat Apostolus hoc dicere, cùm ait: vmbram habebat lex futurorum bonorum: non ipsam imaginem veram. In Hierarchia igitur noui Testamenti debet esse vnus Princeps, cuius vmbra fuerit Moises, qui quidem Princeps, sit imago ipsius rei. Rem ipsam vocat Apostolus hic ipsam veritatem, id est, ipsum Christum Dominum nostrum, & ipsa cœlestia. Episcopus itaque gerit imaginem Christi, sicut ait Clemens Rom. lib. 2. de const. Apost. & in primis Episcopus primus & summus, cuius vmbra fuit Moises, sicut hîc imago Christi. Tandem concludit Sadeel, inquiens;* ita igitur euersis duabus præmissis propositionibus, sua sponte ruit complexio. *Si quis quærat, quomodo euersis? respondendum est ei dicendo tantùm, quia ipse dixit, euertantur duæ propositiones, & euersæ sunt. O miseros discipulos, qui talem habent Magistrum, etenim Sadeel non probauit esse falsas propositiones: Sed dixit tantùm. Ego contrà probaui veras esse, vt iam ipse, qui Syllogismum construxit, suo reti captus sit. Hactenus de primo Syllogismo. Pergit ad secundum, quem idem quoque suis verbis composuit, ne formam accuset.* Omne *corpus visibile vnum caput visibile habeat necesse est. Ecclesia Catholica est corpus visibile. Quare Ecclesia Catholica vnum caput visibile habeat, necesse est; nempe, Romanum Pontificem Petri successorem.*

Locus Epist. Pauli ad Heb. vmbram habebat lex futurorum bonorum, &c.

Sadeel Syllogismo primo ex libro meo collecto, & à se constructo irretitus & captus.

## CAPVT SECVNDVM.

*AD solutionem secundi Syllogismi multa dicit consideranda esse, & illa considerat, vt ei visum est. Ego, quia non est mihi propositũ, vt antea dixi, omnia, quæ dicit, falsa refellere, sicut feci in meis libris duobus, quibus ad cauillationes eius respondi, illa nunc potissimum attingam, quæ vult videri probare auctoritate scripturæ. Hæc enim non videntur mihi esse prætereunda, & dissimulãda, quia iniuriã facit scripturæ, id est, Spiritui sancto, qui ad probandum falsum dogma, scripturæ sanctæ auctoritate abutitur, quale est, q in prima cõsideratione dicit,* quòd cum scriptura dicat Ec-

» cleſiã eſſe corpus Chriſti, & Chriſtũ eſſe caput huius corpo-
» ris: qui cõminiſcitur, *inquit*, alios terminos huius relationis,
» præter eos, qui ponuntur in ſcriptura, eum affirmo impium
» & blaſphemum. Itaq; Chriſtum tantum eſſe Caput Eccle-
» ſiæ; hoc, *inquit*, ſtatuit ſcriptura, ſuadet ratio, dictat ipſe ve-
» rus diſſerendi modus. Denique vident omnes & agno-
» ſcunt, præter Romanum Pontificem, & Romani Pontificis
» aſſentatores. Itaq; non puduit Turrianũ, omittere planam
» & dilucidam ſcripturæ ſententiam de Capite Eccleſiæ, vt
» aliam nouam commentitiam obtruderet. *Non diſſimulabo, quod hic etiam Sadeel, ne ſit ſui immemor, & ſui diſſimilis, dicit tantùm & non probat. Hoc, inquit, ſtatuit ſcriptura: proba. Suadet ratio: proba. Dictat ipſe diſſerendi modus: proba quomodo dictat? Denique id vident omnes & agnoſcunt: proba. Qui non aliud facit, quid ſibi facit reliquum ad reſpondendum, niſi ſatis eſſe dixiſſe tantùm? Scripſi ante annos viginti libros tres auctoritate Pontificis Romani ſupra Concilia: Primus liber totus ex ſcripturis ſanctis contexitur, quibus probo; Caput Eccleſiæ Catholicæ ſucceſſorem Petri Principis Apoſtolorum eſſe, id eſt, Epiſcopum Romanum. Refutet Sadeel ſcripturas ſcripturis, quod hactenus fecit nemo. Scripſi poſteà de eadem re, lib. 2. & 3. pro defenſione Epiſtolarum Pontificum Apoſtolorum contra Magdeburgenſes; vbi, quæ Sadeel hîc dicit & non probat, probaui ego falſa eſſe: ad illã oportebat priùs reſpondere, non dicendo tantùm, ſed probando. Sed omittamus illa. Agè Hæretice, quid interest, vtrùm res ſit in ſcriptura, an nomen rei. Sires eſt, quid de vocabulo contendis? cur reprehenſionem Apoſtoli libenter incurris, qui pugnas verborum in Epiſt. ad Tim. accuſat, cùm ait: Noli contendere verbis; ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium? eaſdem pugnas & contentiones de verbis damnat, in Epiſt. 1. ad Timoth. c. 6. Si Sadeel in Cõcilio Niceno fuiſſet, Homouſion cum Catholicis puto non recepiſſet; Sed potiùs cum Hæreticis Arrianis, tanquàm eorum propinquus nomine, vt Aërianus reiecisſet; quia*

Res capitis de Pontifice in ſcripturis oſtenſa, ſufficit ad confitendum eſſe Caput.

Quomodo Sadeel reprehenſionem Apoſtoli de pugna verborum incurrit, non contentus oſtenſione rei in ſcripturis, niſi oſtendatur verbum.

*quia nõ reperitur in scriptura, cùm tamen res Homousy reperiatur; quod satis fuit, vt à Catholicis reciperetur. Neq; Θεοτόκου recepisset eadem ratione, quia non est in scriptura; Sed potiùs cum Nestorio repudiasset. Probaui lib. secundo defensionis Epistolarum & Canonum, veteres Patres, tum Græcos, tum Latinos, sic interpretatos esse locum Euangelij, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, super Petrum. Produxi nubem testium, Tertullianum, dico, Cyprianum, Athanasium, Ambrosium, Hilarium, Eusebium, Alexandrinum, Hyppolytum Martyrem, Hieronymum, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, Theodoretum, Theophanem, Ceramæum, Leonẽ Imperatorem, cognomento Sapientem, Theodorum Studitem, & alios, quos prætereo. Si fundamentum Ecclesiæ est Petrus, vt Euangelium testatur, tantorum Patrum testimonio, fundamentum dico non virtutis propriæ, quod vnum est, propter quod nemo aliud ponere potest, præterquàm quod positum est, quod est Christus Iesus, sicut Apostolus ait; Sed fundamentum virtutis participatæ & à Christo communicatæ. Sic enim distinxit, & quidem his verbis: duplex fundamentum Ecclesiæ in sermone de die anniuersario suæ assumptionis Magnus Leo testimonio & auctoritate Synodi Chalcedonẽsis, id est, sexcentorum Patrum celebratissimus; si, inquam, fundamentum tale est, quale diximus; igitur neq; sine tali fundamento stare potest Ecclesia, quæ super eum ædificata est. Cùm ergo facit scriptura Petrum, & successorẽ eius translatè fundamentũ Ecclesiæ, quia eã firmat instar fundamenti iacti, auctoritate sua, & stabilitate fidei, per virtutem à Christo cõmunicatam, qui est per se fundamentum, & qui pro eius fide orauit & exauditus est. Id enim, super quod adificatum est, fundamentũ vocatur, an non facit eum Caput translatè? id enim, quod corpori gubernando & regendo præest, caput dicitur, & est. Est autem Ecclesia corpus Christi, quòd caput habet propriæ virtutis Christum, qui, vt ait Aug. totus est caput, & totus corpus, & habet caput virtutis participatæ, quod idem Christus dedit corpori suo, quod est Ecclesia, vt eum videret in hoc regno Chri-*

Quomodo Sadeel, si in Concilio Niceno fuisset, non accepisset cum Arianis verbum Homousij, quia nõ reperiebatur in scripturis, nisi res tantùm.

Nomen capitis de Pontifice ostensum in scriptura, & quomodo Sadeel in eo loco cauillari non potuit, & ideo astutè dissimulauit.

*sti, & eius fidem & ductum ceu capitis sequeretur. Quod si adhuc Sadeel nomen capitis in Pontifice de scriptura quærit, ostendi locum, etsi dissimulat. Nihil enim respondet ad id, quod obiecì, etsi cauillationes tentauit. In illa enim analogia corporis humani, relata ad corpus mysticum Christi, quæ est Ecclesia, quæ eò spectabat, vt pax & concordia, ac summa consensio esset in membris Ecclesiæ, quæ diuersa charismata & munera habent: sicut in corpore humano, membra corporis diuersos actus habent, ne, qui minora charismata haberent, inuiderent membris mysticis, quæ maiora haberent. Cùm igitur in corpore mystico, sint quædam membra mystica, alia aures mysticæ, alia oculi mystici, alia manus, alia pedes. Et similiter in aliis, de quibus non est modò differendi tempus. Et omnes partes, siue membra, quæ Paulus in illa analogia corporis humani nominauit, habeant in corpore mystico membra illis spiritualiter & mysticè respõdentia. Quærebam quod caput spirituale & mysticum in Ecclesia, quæ est corpus Christi, misticè responderet illi parti & membro inter reliqua præcipuo, & cæteris præstantiori, quod est caput corporis humani Physici, quod non posset dicere pedibus, non estis mihi necessarij, sicut non posset dicere oculus manui, opera tua non indigeo? Hoc enim in caput, quod est Christus, non potest quadrare, nisi diuinitatem Christi neget Sadeel, sicut Nestorius Anthropolatra. Intuli ergo: aut vacat hæc pars analogiæ in exemplo corporis humani & Physici; aut si non vacat, absonum enim est dicere vacare, sequitur necessariò esse caput mysticum visibile, quod Christus in corpore suo visibili posuit, sicut reliqua membra. Hoc enim caput non potest dicere pedibus, non estis mihi necessarij; pedes nãq; sunt ministri verbi Dei, sicut Apostolus ait ad Eph. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Hoc est, quod dissimulauit Sadeel, quia nunquàm reperire potuit cauillationem, nec vllum cuniculum ad tentandum. Accedit huc, quod in meo libro produxi testimonium magnæ auctoritatis vnius veteris Patriarchæ, qui scribens ad Pontificem Romanum hanc partem analogiæ ad Pontificem retulit, & ei conuenire confessus est. Sed Hæreticus*

Explicatio rationis analogiæ de capite & pedibus in loco Epi. Pauli.

t icus, quia subuersus est, & in reprobum sensum traditus, nihil horũ credit, & ideo non intelligit; obcæcatum est enim cor eius, & in Epist. ad Rom. ex Es. Propheta: Quàm speciosi inquit, pedes Euãgelizantiũ pacem, Euangelizantium bona. Nihil enim magis necessarium est Pontificì, quàm habere, quos mittat ad prædicandum. Quomodo enim, inquit Apostolus, credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine Prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut ergo Dominus Iesus sanctos Apostolos misit in vniuersum mundũ ad prædicandum Euangeliũ, sic voluit, vt is, super quem ædificabat Ecclesiã, mitteret successores Apostolorum, id est, Archiepiscopos, Archiepiscopi mittunt Episcopos, quibus præsunt; qui sunt etiã successores Apostolorum infra Archiepiscopos: Episcopi verò mittunt Presbyteros, qui, nisi ab Episcopo missi, non possunt ministrare verbo secundùm Canonem Apostolorũ 39. Ita fit, vt omnis missio ministrorum verbi Dei, ad successorem beati Petri Principis Apostolorũ, tanquàm ad originẽ reuocetur; sitq; in terra cœlestis & spiritualis Monarchia, id est, vnius Episcopi in omnem Ecclesiam, quæ sub Cœlo est, Principatus: id est, sicut Dominus dixit, vnum ouile & vnus Pastor, quod beatus Cyprianus de Petro & successore eius, & Ecclesia Catholica interpretatus est, vt ego verbis eius probaui, c. 2. lib. prioris, contra Sadeelis cauillationes; quem locum Sadeel hîc præteriit, quia nullã cauillationẽ ad eludendã sententiã Cypriani reperire potuit. Redeo ad analogiã, in qua illud, quod quærebã, quodnam caput in corpore mystico responderet illi capiti, quod in corpore Physico non posset dicere pedibus, non estis mihi necessarij? An verò illa pars analogiæ vacaret. Sapiens enim Sadeel astutè hîc dissimulauit, quia nihil ad cauillandũ reperit: Aut reperiat modò, si factus est sapientior.

## CAPVT TERTIVM.

SED, quia caput quærit in scriptura, ostendamus ei; rursus in ea rem capitis, etsi non nomen capitis. Cùm in illo Concilio Apostolorum primo Hierosolymitano surrexit Petrus,

Quomodo, & quibus in locis ſcripturæ, oſtendatur res capitis in Pontifice, & ſi verbũ ipſum capitis non ſit ibi.

Quomodo elegit Deus Petrũ, vt per os eius audirent Gentes Euangelium, & crederent.

*Petrus, & dixit: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum & credere. Dicat Sadeel, vnde ſciebant Apoſtoli & Presbyteri, quos Lucas dicit conueniſſe ad videndum, vtrùm ſeruanda eſſet cum Euangelio lex, vt putabant illi, qui ex Hæreſi Phariſæorum crediderant; vnde, inquam, ſciebant, quòd Deus elegiſſet Petrum, vt per os eius prædicaretur Gentibus Euangelium, & crederent? ex eo nempe ſciebant, quòd ſciebant, dixiſſe Dominum Petro; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiã meam. Quid enim aliud erat, audire Gentes verbum per os Petri, & credere, quàm ædificari Eccleſiã ex Gentibus per miniſterium verbi, quod miniſterium ab auctoritate Petri, tãquàm capitis & Principis Eccleſiæ originẽ duceret? Ita vt tũc rectè Gentes verbũ audirẽt, & rectè crederent, cùm auditio verbi, & fides cũ prædicatione Petri, & fide eius conueniret. Sicut aſcenſus Pauli ad conferendum Euangelium, quod Gentibus prædicabat, demonſtrauit. Quod exemplũ deinceps Patriarchæ totius Orientis ſecuti ſunt, vt eorum literæ Synodicæ, de Confeſſione fidei, ad Pontificem Romanum olim mitti ſolitæ teſtantur, quas ego varias in meis libris ex parte recitaui. Notauit Philoſophus, duce ratione naturali, lib. 4. Phyſ. eſſe vnum modum inter alios, quo aliud in alio eſſe dicitur; vt ciues, inquit, & regnum in Rege tanquàm in primo, id eſt, tanquàm in Capite; Primum enim, caput appellari ſolet. Igitur quia miniſtri omnes Eccleſiæ, tùm maiores, tùm minores in Pontifice ſunt, tanquàm in primo & capite; idcircò qui per ora miniſtrorum eius audiunt verbum, & credunt, rectè ſecundùm rationem & ſcripturam, dicuntur audire & credere per os Pontificis: Miniſtri autem Pontificis ſunt, quàm diu cum eo conſentiunt. Prætereà in Euangelio Lucæ, res capitis, etſi non nomen capitis, planè cernitur ab iis, qui non ſunt cæco corde. Poſtquàm enim facta fuit contentio inter Apoſtolos, quis eorum videretur maior eſſe, dixit eis Dominus Ieſus in Euang. Lucæ: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic: Sed qui maior eſt in vo-*

*bis,*

bis, fiat sicut minor: Et qui præcessor est, fiat sicut ministrator. Respondeat Hæreticus, qui negat fuisse Petrum maiorem cæteris Apostolis, id est, Caput, & Præfectum eis, ac proinde toti Ecclesiæ, quid opus erat hac disciplina & institutione, si nemo erat inter eos maior? si nemo ex Apostolis erat eis Præfectus præter Christum? An monebat eos, ne in Christum Caput eorum se efferrent? Quorsum spectabat monere eos, ne potestates sæculi imitarentur, quæ in eos, quibus præsunt, imperium habent, si nullus Apostolus in reliquos Apostolos, & in totam Ecclesiam potestatem habiturus erat? Quorsum dixisset: Qui maior est in vobis, si nemo erat maior? Quid vanius, quàm instituere, & monere in ea re, quæ nunquàm in vsum eorum, quos instituimus, & monemus, ventura est? An docebo ego, nisi insanire vellem, quomodo gerat Magistratum, qui nunquàm ab aratro & agricultura ad ciuitatis gubernacula arcessendus est? imò cui prohibeam Magistratum, tametsi vocetur? Est autem aduertenda & obseruanda ἀκρίβεια scripturæ sanctæ, quæ in Euangelio Lucæ dixit; Qui maior est in vobis, id est, qui potestatem accepit in alios in eum intuens, qui iam erat Præfectus Apostolis & Ecclesiæ: In Euangelio autem Marci dixit; Qui voluerit esse maior intuens in eos, qui successores futuri erant, qui post quàm canonicè electi sunt, oportet consentire electioni eum, qui electus est; nemo enim cogitur. Suasio & hortatus adhiberi potest ad subeundum onus, sed vis non potest. Sicut hortatur beatus Athanasius Dracontium recusantem Episcopatum, ad quem electus erat. Prohibet igitur Dominus illa sua institutione & disciplina, quam sanctis Apostolis, & eorum Capiti Petro tradidit, dominari violentè; hoc enim significant κατακυριεύειν, & κατεξουσιάζειν, quibus verbis vsus est Marcus in potestatibus sæculi. Eodem verbo κατακυριεύειν vsus est beatus Petrus in Episcopis, Pontificibus Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, quibus iubet non dominari in Cleris, quod tunc quidem fit, cùm Episcopi fiunt forma gregis, sicut idem Petrus præcipit. Forma autem gregis fiunt, cùm sunt, sicut Apostol. Timotheo Ephes. Episcopo præcepit, exemplum

Demonstratio Principatus Petri in reliquos Apostolos ex Euangelio.

Quomodo Epiſcopi fiãt forma gregis, ſicut ſcripturæ præcipit.

*fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Tunc enim euenit, vt fideles, quibus Epiſcopus præeſt, quod facturi ſunt, non per vim & coactè, ſed ſponte faciunt, quæ eſt præſtantiſſima regendi ars & difficilima, & maximæ prudentiæ, vt Gregorius Nazianzenus in Apologetico docet. Etenim, quod quis inuitus & coactus facit, ſtatim vt vis & metus abſunt, ad naturam & malam voluntatem redit. Eos, qui ſic præeſſe debent in Eccleſia, vt forma ſiant, & exemplum in omni virtute, tanquàm duces, ſcriptura ſancta vocat ἡγουμένους, vt ſi dicamus præeuntes, ſic Apoſtolus vocauit in Epiſt. ad Hebr. de Epiſcopis & Paſtoribus loquebatur: Obedite, inquit, Præpoſitis veſtris, ſic vertit vetus interpres. Lucas Euangeliſta eodem verbo vſus eſt, cùm ait: Et, qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator, Græcè eſt ἡγούμενος. Conuenit cum ſignificatione huius verbi, quod ait Malachias cap. 2. de bono Sacerdote aliis Præfecto, in pace dirigens mecum, & multos conuertit ab iniquitate. Quo in loco Cyrillus huius Prophetæ interpres. Sequitur enim, inquit, veſtigia τῶν ἡγουμένων τὸ ὑπήκοον; id eſt, ſubditi ſequuntur exemplum eorum, qui Duces ſunt. Agè ergo Hæretice, qui in ſcriptura Caput Eccleſiæ requiris præter Chriſtum, An non eſt res capitis Ducem eſſe? ſiue vt interpres noſter vetus vertit, Præceſſorem; Negabis tu Ducem eſſe Caput exercitus ſui? Nonnè Capitis eſt, dirigere, quod Propheta Zacharias tribuit Sacerdoti Præpoſito? Quid hic habebit Hæreticus ad cauillãdum, præterquàm cauillationes indecoras, ex malo animo & mala mente proficiſcentes? Statim enim confugiet ad petulantiam linguæ, & ad criminationes Pontificis, impias & blaſphemas, vt Hæretici ſolent. Vtinam liberet C. V. mittere aliquem ex ſuis familiaribus & domeſticis, qui eſſet teſtis & ſpectator vitæ Pontificis, pietatis, modeſtiæ, charitatis, beneficentiæ, manſuetudinis, iuſtitiæ, frugalitatis, & omnis temperantiæ, facilitatis, & humanitatis, in omnes egentes & pauperes, menſæ etiam quotidianæ parciſſimæ. Sic enim C. V. poſſet cõfundere Hæreticum iſtum, cùm furioſè in Pontifices debacchatur. Vocat me Hæreticus aſſentatorem Pontificis, qui nihil à Pontifice expecto,*

Quã vim habeat in ſcriptura verbum ἡγούμενος.

Hæreticus eſt, qui negat pertinaciter rem, quæ in ſcriptura eſt, qa non legit verbum proprium eius rei.

De petulantia procaci Sadeelis in Pontificem.

pecto, imò nec expectare possum, quia nec accipere oblatum possum, propter votorum meorum sponsionem: Ex nostra enim Societate non fiunt Episcopi; non, quia hoc in aliis religionibus improbemus, qui esset ingens error: absit. Sed quia ita approbante Summo Pontifice, ratio nostri instituti & occupationum Societatis postulare videbatur. Satis puto demonstrasse me in Pontifice Petri successore, non quidem Hæreticis cæcis & obstinatis, sed omnibus aliis, qui non sic sunt, rem Capitis in scriptura. In crimẽ ergo λογομαχίας, id est, pugnæ de verbo contra scripturam Apostoli, qui eam prohibet & damnat, incidit Sadeel, cùm non contentus re verbi, verbum ipsum ab scriptura requirit. Audiat, quid Magnus Athanasius scripserit ad Antiochenses, de iis, qui affirmabant vnam esse hypostasin, & rogati, quomodo acciperent hypostasin, respondebant, pro substantia, itaque sentiebant nobiscum, vnam esse substantiam Patris & Filij & Spiritus sancti. Scribit itaque Athanasius, non esse illos amplius interrogandos, quin potiùs amplectendam illorum interpretationem; hortaturq; ab iis, qui rectè interpretantur & sentiunt, vt nihil aliud requirant, neq; de verbis disceptent, sed satis sit, tantùm sensu τῆς ὀρθοδοξίας conuenire: Ad nihil enim vtilem esse huiusmodi contentionem de verbis. Sic sensit Athanasius. Similiter nunc, si Sadeel concederet, rem Capitis Petro & eius successori, id est, Præfectum esse Ecclesiæ Catholicæ, non requireretur ab eo, vt Caput Ecclesiæ vocaret. Rursus idem Athanasius cum Episcopis Lybiæ & Aegypti, contra Arium ad Episcopos Africæ scripsit, ne de verbis contenderent; si, inquit, propter ignorantiam vererẽtur vti hoc verbo Homousij, dicant & sentiant simplicius, & verè, filium natura filium; & anathematizent eos, qui dicunt creaturam esse filium. Similiter dicendum est Sadeeli, si veretur dicere Caput Ecclesiæ Pontificem, quia legit in Epist. ad Ephes. de Christo scriptum esse: ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, dicat simpliciùs, & verè, super Petrum ædificasse Christum Ecclesiam, quod in Euangelio legit: Dicat Petro commisisse, vt oues Christi pasceret; & si ipse vult esse ex ouibus Christi, agnoscat se esse Petro commissum,

Quomodo Sadeel in crimẽ pugnę verborum à Paulo reprehensæ & damnatæ incidit.

*miſſum, & anathematizet eos, qui vtrumq; horum non agnoſcunt, neque profitentur in ſucceſſore Petri. Non enim mortuo Petro deſiuit Chriſtus ædificare Eccleſiam ſuper alium, ſicut ædificauerat ſuper Petrum, niſi putamus propter eos tantùm, qui erãt, dum vixit Petrus, ædificaſſe Eccleſiam ſuper eum, quo nihil poſſet delirius et amentius putari. Neque mortuo Petro deſierunt oues Chriſti paſci ab alio, ſicut paſcebantur à Petro, niſi exiſtimamus propter eas oues, quæ tunc erant in terra, factum fuiſſe paſtorem ouilis Chriſti, vt non amplius ouile Chriſti, vnum paſtorem haberet, qui eſſet maior inter alios paſtores, ſicut fuit Petrus inter alios Apoſtolos, quod ipſe Chriſtus propriis verbis in Euangelio deſignauit, vt iam oſtenſum eſt. Sed Sadeel nõ de verbo, ſed de re pertinaciter contendit, & ideò Hæreticus eſt. Pergit deinde Hæreticus, & dicit,* ſed nos Auguſtinum potiùs audiamus de Capite Eccleſiæ ex verbo Dei ita diſſerẽtem: *Congregantur fideles in vnum corpus, inquit, cuius vnum Caput eſt Chriſtus. Talis congregatio ædificatio eſt templi Dei. Talem congregationem non generatio carnalis; ſed regeneratio ſpiritualis facit. Rectè quidem Auguſtinus; de Chriſto enim loquitur Capite Eccleſiæ virtutis propriæ, ex quo Capite, ſicut ait Apoſtolus in Epiſt. ad Ephe. totum corpus compactum, & cõnexum per omnem vincturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Caput igitur, quod augmentum facit virtute propria & diuina in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, ſolus Chriſtus eſt: Pontifex verò miniſter tantùm eſt, de quo dicendum eſt, quòd Paulus de ſe, & de Apollo; itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus. Sed videamus, quid idem Auguſtinus de altero Capite Eccleſiæ ſenſerit, ac ſcripſerit, vt ſuo teſte conuictus Hæreticus, cauſa cadat. Auguſtinus in Epiſt. 162. ad Glorium, & Eleuſium, Felicem, & Grammaticum; erat etiam tranſmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpi-*

Quid interſit inter Caput Chriſtum, & Caput Pontificẽ, quod nolunt Hæretici aduertere.

Quomodo teſtimonio ſui teſtis Auguſtini Sadeel cõuincitur, & cauſa cadit in dogmate de Primatu Pontificis Romani ſucceſſoris beati Petri.

*consp*irantem multitudinem Episcoporum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Ecclesiæ, viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, etc. Cùm Augustinus, qui Synodo Carthaginensi, & quidem nomine totius Numidiæ Legatus interfuit, semper in Ecclesia Romana Apostolicæ Cathedræ Principatum viguisse confitetur; An non clarè Caput omnium Ecclesiarum Episcopum Ecclesiæ Romanæ esse confitetur? cuiusnam membri in corpore mystico Christi, quod est Ecclesia, erit Principatus, nisi capitis? Rursus contra duas Epistolas Pelag. ad Bonifacium Episcopum Rom. lib. 1. cap. 1. Cùm verò, inquit, non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto precio redemptas oues, adigimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis, facio, quod possum, pro mei particula muneris. Et quæ sequuntur. An confiteri Bonifacium Episcopum Rom. præeminere in celsiore fastigio speculæ pastoralis, non erat confiteri, eum esse Caput & Principem aliorum Pastorum, pertineréque eos ad eius speculam pastoralem, in qua præeminebat? Præterea idem Augustinus cum quinquaginta Episcopis Concilij Milcuitani in Epist. 42. sic ad Innocẽtium Episcopum Romanum scripsit; Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuè munere in sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit. Et paulò pòst: Magnis periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Et quæ sequuntur. An non satis aperte hoc loco Augustinus cum reliquis Episcopis Primatum Pontifici Romano tribuit, cum præcipuæ gratiæ munere in Apostolica sede collocatum dicit? Quæ enim ista præcipua gratia, nisi charisma Episcopatus, quo præest vniuersæ Ecclesiæ? quod satis idem Augustinus explicat statim, cùm petit ab eo, vt diligentiam pastoralem periculis membrorum Christi, in Ecclesiis Africanis adhibere velit. Confitetur igitur Pater Augustinus cum reliquis 60. Episcopis, oues Pontificis Romani esse, quæ in Ecclesiis illorum Episcoporum erant, ad eiusq; curam pasto-

Multiplex testimonium Augustini de Principatu Pontificis.

*ralem, quam requirebant, Epiſcopos & eorum oues pertinere. Si dicerem hic idem facere debere membra Chriſti, quæ in Germania infirma ſunt, exemplo Auguſtini & illorum 60. Epiſcoporum; petere ſcilicet, paſtoralem diligentiam ab Epiſcopo Romano, fortaſſe diceret Hæreticus cauillator, fieri hoc poſſe, ſi talis eſſet Pōtifex, qualis Innocentius, cùm, ne ſi Innocentius quidem ipſe reſurgeret, hoc facerent. Sed ſinamus hîc Hæreticum, quantum volet, & vt volet, cauillari: Semper enim erunt cauillationes indecoræ & futiles.*

## CAPVT QVARTVM.

Quàm ridiculè probauerit Sadeel Eccleſiã eſſe corpus inuiſibile, quia eſſet corpus myſticum.

*AIT præterea, qui myſticum dixerunt, certè inuiſibile corpus ſignificare voluerunt. Non igitur pugnat, in Theologia corporis inuiſibilis inuiſibile eſſe Caput. Quid eſſe poteſt magis ridiculum, q̃ ex eo probare, Eccleſiam Catholicã eſſe corpus inuiſibile, quod dicatur eſſe corpus Chriſti myſticũ? quaſi myſticum ſignificet inuiſibile. Non intellexit ſapiens Sadeel myſterium à Græcis dici, quod Latini vocant Sacramentum. Sacramentum autem definiunt viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ, etc. cuiuſmodi eſt Baptiſmus, & alia Sacramenta. Non enim, ſi quid in ſe habet aliquid reconditum & abſtruſum, ipſum continuò eſt inuiſibile: Sed illud, quod in receſſu & in abdito eſt, ſpirituale & intellectibile eſt. In lib. 3. de Chriſtiana doctrina, & in libro de vnitate Eccleſiæ, & ſæpè aliâs dicit Auguſtinus, eſſe Eccleſiam vnum corpus Chriſti, propter vnitatem communionis Sacramẽtorum; quæ quidem, tanquàm ex corpore & ſpiritu, ex re ſenſibili, & ex gratia ſpirituali, tanquàm in ſymbolo viſibili ſignificata conſtant. Illa quidem, quæ, ſicut Apoſtolus ait, in veteri teſtamento vmbram habebant futurorum, omnia erant myſtica, & tamen viſibilia, & illa omnia, quæ iuſſit Deus Moyſi facere ſecundùm exemplar, quod ei monſtratum erat in monte, omnia erant myſtica, quæ alioqui ſub ſenſum cadebant, vt ſymbola corporea; & aqua, ex qua cum inuocatione Patris, Filij & Spiritus ſancti, Baptiſmus conſtat, aqua myſtica dicitur & eſt, & tamen viſibilis*

bilis est. Et apud Lutheranos mensa, in qua Dominicam cœnam, vt ipsi putant, faciunt, mystica est, & tamen visibilis. Sed iste sapiens, neque verba, neque res verbis subiectas, rimatur. Contra naturam igitur, & contra scripturam argumentatur, esse Ecclesiam Catholicam inuisibilem, quia dicitur corpus Christi mysticum. Dicitur enim mysticum, vt admoneamur, non esse hærendum in verbo corporis symbolicè posito; Qui enim, inquit Basilius, ad altiores notiones ex verbis non ascendit, sed in ipsis delineationibus corporũ, verborum compositione factis residet, audiet ex Moyse Deum esse ignem, & ex Daniele sapiente ad alias opiniones detorquebitur. Admonuit etiam de hoc, in Epist. ad Titum, & in cœlesti Hier. diuinus Dionysius, non oportere hærere in symbolicè effictis formis, quomodocunq; effingantur, siue in specie sub sensum cadente, vt in Dan. cap. 7. & peruenit filius hominis vsque ad antiquum dierum: siue in vocabulis, quæ videntur habere multum absoni & absurdi, vt, cùm in Deuter. cap. 4. dicitur, Deus ignis, & in Psal. 77. dicitur, ebrietate & somno captus; sed ad sublimiores cogitationes recurrendum esse. Similiter cùm Ecclesia dicitur corpus Christi mysticum, quod ad Theologiam symbolicam, quæ mystica est, pertinet; Similiter non esse hærendum in vocabulo corporis symbolicè posito, admonet ipsum vocabulum mystici. Non enim Christus aliud corpus habet, quàm quod ex Virgine sumpsit, qui etsi sumpsit nostram humanitatem, quia eadem ratio est nostræ & illius; non tamen sumpsit nostra corpora. Corpus enim pars naturæ est. Dicitur ergo Ecclesia corpus eius mysticum. quia sicut caput est principium sensus, & ex capite ducitur in reliquum corpus origo neruorum, sic ex Christo capite mystico corporis mystici totum corpus mysticum compactum, & connexum per omnem iuncturam submini-strationis, & quæ sequuntur symbolicè & mysticè scripta, de quibus non est nunc differendi tempus. Possem pluribus exemplis confirmare hoc, nisi properarem. Secundò notat Sadeel, quomodo accipiatur nomen Catholicæ Ecclesiæ, quid, inquam, significet Ecclesia Catholica, & dum citat locos Augustini de Ecclesia Catho-

Quòd Sadeel neque verba, neq; res verbis subiectas rimatur.

Quare Ecclesia dicatur corpus Christi mysticum.

Quare Ecclesia dicat̃, & sit corpus Christi mysticum.

Quomodo Sadeel Auguſtinũ contra ſe citat.

*Catholica, non intelligens, teſtem contra ſe citat Auguſtinum.* Eccleſia, *inquit, (de catechizandis rud.) eſt populus Dei per omnes Gẽtes, quod eſt corpus eius, adiunctis & annumeratis omnibus ſanctis, qui etiam ante eius aduentum in hoc ſæculo vixerunt. Idem in Epiſt. 48. Eccleſia eſt, quæ intra ſagenam Dominicam cum aliis piſcibus natat, à quibus corde ſemper, et moribus ſeparatur, atq; diſcedit. Hic concedit Sadeel neſciens & nolens, teſte Auguſtino, quod iam diu contendimus, eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ intra ſagenã Dominicam cõtinet piſces bonos & malos, à quibus ſeparatur corde & moribus, hoc ipſum dicit Apoſtolica doctrina in Eccleſia Catholica, quæ eſt corpus myſticum Chriſti, copulari bonos & malos, ſocietate vitæ non ſanctitatis. Vides, Illuſtriſsime Princeps, quomodo Sadeel dat, quod volumus? quid hîc cauillari poterit, q verbis ſuis & Auguſtini captus eſt? nec eſt vllus ſanctorum Patrum, qui hoc, quod dixit Auguſtinus, neget; nec aliud, toto libro de vnitate Eccleſiæ Catholicæ, per cunctũ orbem diffuſæ, contra Donatiſtas contendit. Ad alias auctoritates ſanctorum, quas Sadeel de Eccleſia hîc citat, nihil eſt reſpõdendum, quia veræ ſunt, & huic loco Auguſtini non repugnant. Deinde dicit,* quotquot ſunt reliquæ Eccleſiæ, tum in Aſia, tum in Africa Pontificem Romanum non agnoſcere; *dicit more ſuo, quod optat, ſed non probat. Falſum verò eſſe probant Aethiopes, & Maronitæ, qui frequenter ad Pontificem Romanum ſcribunt, & ab eo petunt, quod ipſis videtur petendum: Probant etiam Syri & Chaldæi, quorum Patriarcha Antiochenus Romæ eſt, & fratrem loco ſuo in ſede Antiochena reliquit, quæ Eccleſia Antiochena, quàm latè per cunctum Orientem pateat, ſciunt omnes.* Propagatam verò eſſe Euangelicam reformationem per totam Europam, *quod Sadeel gloriatur, quàm falſum ſit, facilè poteſt C.V. ſcire. Paulò pòſt ait Sadeel,* Turrianum beatos illos ſpiritus, qui iam recepti ſunt in cœleſtem quietem, ab Eccleſia Catholica ſeparare.

Commentum suicidiũ Sadeelis.

*Commentum Sadeelis eſt. Sic enim ego ſcripſi primo capite prioris libri; Reprehendens enim Sadeelem, quare, aiebam, Eccleſiam, quæ in cœlis*

*in Cœlis est, prætermisisti, quam Ioannes vidit descendentem è Cœlo in secundo aduentu? Ita enim interpretatur Andreas Cæsariensis in Comm. in Apoc. Irenæum & Methodium secutus: Sic etiã intellexit Eusebius Alexand. in Homilia, quæ Græcè extat de secundo aduẽtu. Ad hanc Ecclesiam cœlestem accessimus; scilicet per communionem Sanctorum, quam in Symbolo fidei confitemur, sicut Paulus in Epist. ad Hebr. Sed accessistis, inquit, & quæ sequuntur. Hæc ego. Quomodo igitur Turrianus separat illam cœlestem ab Ecclesia Catholica, si Turrianus dicit, ad hanc Ecclesiam cœlestem accessimus? Iudicet C. V. an verum dixerit. Rursus repetit suum commentum, inquiens:* Hic autẽ bonus, scilicet, Theologus, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, & ipsam Virginem Deiparam, reliquosq; iam beatos Spiritus, ab Ecclesia Catholica excludit. *Deinde concludit*: alioquin aut duas constituet Catholicas; quod fieri non potest: aut fateatur necesse est, vnam Catholicam esse inuisibilem. *Fateor me non intelligere, quomodo sequatur, quia, nec ipse intelligit, quid dicat; neq; de quo affirmet. Nos, cùm dicimus, Ecclesiam Catholicam esse visibilem, de illa loquimur, quæ in terra est per cunctum orbem diffusa, quia huic necesse est communicare, quicunq; non sunt extra Ecclesiam, vt erant Donatistæ, qui non communicabant, & vt sunt hodiè Lutherani, qui similiter non communicant; nec enim magis intra Ecclesiam Catholicam sunt hodie Confessionistæ in Germania, quàm erant olim intra Ecclesiam Catholicam Donatistæ in Africa. Et hanc Ecclesiam, secundùm scripturam & sanctos Patres, ex electis & reprobis, ex iustis & peccatoribus, intra vnam sagenam, vt Aug. paulò antè aiebat, tanquàm piscibus inclusis congregatam, per communionem Sacramentorum, vnam esse dicimus: Neque separamus ab hac Ecclesia Catholica illos Spiritus iustorum perfectorum, vt Apostolus ait, qui in Cœlis sunt; absit: siquidem communionem Sanctorum simul cum Ecclesia sancta Catholica confitemur. Neq; propterea desinit visibilis esse Ecclesia Catholica, quæ in terris est, quia est vna cum illa cœlesti, quæ inuisibilis est:*

Repetitio commenti Sadeelis.

*lis eſt: nec illa cæleſtis, viſibilis dicenda eſt, quia eſt vna cum hac Catholica viſibili, quæ in terra eſt. Sed Eccleſia Catholica, quæ vna eſt complectens omnes, qui ab initio fuerunt cœtus colentium Deum, pro ea parte, quæ in terris eſt, viſibilis eſt, & mixta ex bonis & malis: Pro ea verò, quæ in Cœlis, inuiſibilis, nõ iam duæ, ſed vna tota partim viſibilis, partim inuiſibilis. Quid dici poteſt clarius? & quid facilius ad intelligendum? Sed Hæreticus non vult, vt intelligatur, quomodo Eccleſia Catholica viſibilis ſit, ne conuincatur extra Eccleſiam Catholicam eſſe eos, qui Eccleſiæ Catholicæ viſibili, quæ per cunctum orbem diffuſa eſt, non communicant; idcirco ſuis cauillationibus tenebras luci obducere conatur. Illud præterea ridiculum eſt,*

Quare Sadeel Eccleſiam Catholicam inuiſibilem eſſe fingat.

„ *quod ait*, ſi nunc Eccleſia Catholica viſibilis eſſet, non ſatis
„ propriè diceretur in Symbolo, Credo Eccleſiam Catholi-
„ cam: Non enim, *inquit*, viſibilia creduntur. *Non hic intellexit Sadeel, quid de Eccleſia credimus: credimus enim vnam Eccleſiam eorum, qui ab initio in cultu Dei fuerunt, ſunt, erunt, & qui ad cæleſtem Patriam iam peruenerunt, participaſſe vnius Spiritus ſanctificationem; non enim Eccleſia eſt ſine Spiritu ſanctificationis; ideo prius dicimus credo ſanctam Eccleſiam. Quæ facta eſt per ſanguinem Chriſti, vt ſit omnium redemptor. Sic enim ait de Eccleſia Corinthiorum: Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Et in Epiſt. ad Eph. Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et beatus Ioannes in Apocal. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Hanc igitur ſanctificationem Eccleſiæ credimus: Non enim dicimus in Symbolo ſolùm credo Eccleſiam Catholicam, vt Sadeel malus Catechiſtes dicit: Sed, credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, quod Sadeel prætermiſit. Sanctificatio itaq; eſt, quæ non eſt viſibilis, quia res ſpiritualis: ſed creditur per fidem. Quid mirum, ſi dicat Sadeel, ignorare me rudimenta Theologiæ, qui ignorat rudimenta Catecheſis. Pergit Sadeel defendere Eccleſiam inuiſibilem, & ait:* Itaque non eſt negandum, multos electos & fuiſſe, & eſſe poſſe extra ipſam Eccleſiam

Quid Sadeel malus Catechiſtes in Symbolo nõ intellexerit.

Non dicimus in Symbolo ſolùm Credo Eccleſiã Catholicam, ſed ſanctam Eccleſiam Catholicam.

Ecclesiam visibilem, qui nihilominùs ad Ecclesiam inuisi-
bilem pertinent. *Vt intelligamus, quid velit dicere Sadeel, & quorsum hæc spectent, rogemus eum, an credat posse esse electos, qui non pertineant ad Baptismum? Puto, respondebit, nõ posse: quia verbum Domini est; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. At pertinere ad Baptismum, quid aliud est, quàm pertinere ad Ecclesiam fidelium, id est, baptizatorum, ex quibus alioqui multi sunt reprobi? Et hoc rursus, quid est, nisi pertinere ad Ecclesiam visibilem? Ecclesiam enim Catholicam visibilem Baptismus visibilis facit. An, quia non possumus videre, qui sint electi, de quibus Apost. ad Tim. scribit: Nouit Dominus, qui sunt sui; & in lib. Num. c. 16. Nouit Deus suos, & Sanctos suos adduxit ad se, & quos non elegit sibi, non adduxit ad se: Sic enim est apud 70. idcirco non possumus videre, qui sint homines Christiani, qui omnibus aliis Christianis communicant? & quid erit horum omnium per cunctum orbem multitudo, & cœtus vniuersus ritè colentium Deum per fidem Christi, nisi Ecclesia Catholica visibilis? Ait deinde, Porrò Ecclesiæ particulares mixtæ quidem sunt ex electis, & reprobis: Sed non dicuntur Ecclesiæ, nisi propter electos. Et in hanc sententiam multa alia dicit, quæ vera sunt, sed non pertinent ad rem. Verum est, reprobos esse in regno, sed non esse de regno, propriè scilicet; neq; dici, aut esse regnum, nisi propter electos. Sed quid tum? An quia electi secundùm electionem Dei sunt, vt modò dicebã, inuisibiles; Ipse enim nouit solus, qui sunt sui; iccirco Ecclesia, per cunctum orbem diffusa constans ex reprobis & electis, erit inuisibilis? Minimè. Quare? Quia propter Sacramenta visibilia, vt dixi, dicuntur, & sunt per cunctum orbem Ecclesiæ visibiles. Et istæ omnes particulares, vnitate formæ sunt vna Ecclesia; Vnitas autem formæ non inuenitur in pluribus suppositis, nisi vnitate ordinis; vt forma multitudinis ordinatæ, vt, 1. p. q. 39. art. 3. tradit his ipsis verbis, S. Thomas in vtraq; Theologia, mystica & Philosophica, siue demonstratiua omnium Theologorum & Philosophorum iudicio excellens & diuinus: Sic dicimus, inquit,*

Quæ sit forma vnitatis Ecclesiæ.

*idem, multos homines Collegium, exercitum, populum. Ita qq; vna Eccleſia Catholica, vnus populus Chriſtianus eſt, ſuo Epiſcopo adhærens; vt ouile Paſtori. Vnus, inquam, propter vnitatem ordinis. Hæc autem vnitas ordinis conſiſtit præcipuè in vnitate communionis Sacramentorum, qua in vnum corpus Chriſti myſticum ſunt omnes viſibiliter vniti, tùm electi, tùm reprobi. Cùm alioqui alij ſint membra viua huius corporis; alij membra mortua. Et, qui ſunt membra mortua, quamdiu non ſunt abſciſſa, ſunt quidem membra, ſed nõ propriè. Quæ verò ſunt abſciſſa, quamdiu abſciſſa ſunt, & ab Eccleſia eiecta, non ampliùs ſunt membra; & ſalua eſſe, & viuere non poſſunt, vt Hæretici & anathematizati. Sic vnus populus Chriſtianus per cunctum orbem dilatatus viſibilis eſt, & per cunctum orbem dignoſcitur vnus populus, ex vna forma viſibili ordinis Chriſtianorum, in vna cõmunione Sacramentorum viſibilium conſtituti, huic iam populo ſic dilatato, & vnito, qui non communicant, extra Eccleſiam ſunt. Hoc eſt, quod Sadeel ſuis variis & monſtroſis cauillationibus ſubterfugit. Sed nihil proficit miſer: quia durum eſt, contra ſtimulum calcitrare. Et, quod magis mirandum eſt, non intelligit, non mecum pugnare, dum de hoc pugnat: Sed cum beato Auguſtino, cuius auctoritate vti vult. Per ſcripturas enim probat, eſſe Donatiſtas extra Eccleſiam, quia Eccleſiæ Catholicæ, quæ per cunctum orbem dilatata ſpectatur, non communicant. Si Eccleſia Catholica eſt inuiſibilis, vt Sadeel ſomniat, quid agit Auguſtinus? quomodo probat eſſe Donatiſtas extra Eccleſiam Catholicam; quæ non eſt viſibilis hominibus? Iudicet C. V. quale hoc ſit, non eſt eiopus iudicio Sadeelis, quem docere poſſet, niſi ille eſſet Hæreticus ſubuerſus, ſicut Apoſtolus de ſimilibus ait, & ſuo iudicio condemnatus; quia ſcilicet non aliud ſcire vult, nec intelligere, quàm quod ab eis didicit, à quibus deceptus eſt. Venio ad illa exempla, quæ Sadeel adhibuit, quibus conuincitur verum eſſe, quod negat, eſſe ſcilicet vnum corpus myſticum, Eccleſiam Catholicam ex bonis & malis mixtam; aceruus enim tritici, qui paleas admixtas habet, vnus aceruus eſt, ex tritico & paleis, licet*

Vnde exiſtat origo vnitatis Eccleſiæ Catholicæ.

De membris Eccleſiæ Catholicæ viuis, & mortuis, & abſciſſis.

Quomodo Sadeel non intelligit cum Auguſtino ſe pugnare in dogmate ſuo, de Eccleſia Catholica inuiſibili.

Quare Sadeel ſit ſubuerſus, ſicut Apoſt. ait, & ſuo iudicio condemnatus.

*licet paleæ ad ignem spectent, & triticum ad horreum. Sunt hæc quidem coniuncta in area, coniuncta, inquam, coniunctione ordinis vel posituræ; non autem coniunctione qualitatis. Alia enim qualitas paleæ, alia tritici: Sic dicit Apostolica doctrina, iustos & peccatores esse in vna Ecclesia copulatos, societate, siue coniunctione vitæ, non sanctitatis: Et malos esse in Ecclesia, sed non in pace Ecclesiæ; & membra corporis mystici, sed mortua. Similiter dicendum est de vino & fece in dolio, sicut de piscibus bonis & malis intra vnum rete, quo exemplo Augustinus frequenter vtitur. Denig. vnum locum citat Sadeel, quo totum, quod volumus, conficitur. Sic enim ait:* Itaq; Christus parabolam illam exponens, de zizaniis, scilicet, cum tritico: Mittet, inquit, filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos, qui faciunt iniquitatem. *Deinde subiungit,* ex quibus perspicuum est, reprobos ad tempus esse in regno Christi, nempe, in eius Ecclesia; neque tamen esse de regno illo, adeò vt licet sint in regno, non tamen dicatur regnũ propter reprobos, sed propter electos, in quibus Christus regnat suo Spiritu. *Hæc Sadeel. En, Illustrissime Princeps, iam cõcedit Sadeel esse ad tempus, id est, quàm diù in hoc sæculo sumus, simùl cum electis reprobos in vno regno Christi, nempe, in eius Ecclesia; concedit q. vnum esse corpus Christi mysticum ex bonis & malis mixtum; Hoc enim est regnum Christi, quod est Ecclesia. Esto, regnum Christi verè & propriè, ac τῆ ἐνεργείᾳ hoc est, actu, non sunt iniusti, sed iusti. Hoc tamen non impedit, quin illud primum verum sit. Ergo qui est electus ex hoc regno Christi, quod ad tempus est ex bonis & malis collectum, ille non pertinet ad regnum Christi cœleste, vt Sadeel Hæreticus, qui non communicat Ecclesiæ Catholicæ, quæ est regnum Christi ad tempus ex iustis & peccatoribus collectum, quia est ex ea electus.*

Quibus exemplis à Sadeele productis conuincitur, Ecclesiam Catholicã ex bonis & malis mixtam esse vnum corpus Christi mysticum.

Quid Apostolica constitutio tradat de vnitate Ecclesiæ Catholicæ.

# CAPVT QVINTVM.

DEINDE *accedit Sadeel ad illud, quod quarto loco dicebat eſſe quærendum; vtrùm habeat Eccleſia Catholica rationem generis, an totius, &c. De quo, quia Sadeel dicit, excuſſurum ſe poſteà ſingulas meas reſponſiones & obiectiones, ego item cauillationum confutationem eò reſeruabo: Nunc quædam obiter notabo ab eo ficta. Quod enim dicit pagina 34.* me citaſſe ex Ariſtotele, vniuerſale eſſe quoddam totum, ſed non intellexiſſe, *debebat probare: Sed, vt more ſuo ſemper dicat tantùm, non probauit. Adiungit aliud commentum*, quod ſicut vniuerſale eſt quoddam totum, ita exiſtimauerim ego viciſſim, omne totum dici poſſe καθ' ὅλον, *nec hoc, quod ſcilicet ſic exiſtimauerim, probat; quia commentum eſt Sadeelis. Aut, ſi non vult haberi mendax, probet, vbi & quomodo ſic exiſtimauerim. Illud verò non eſt hic diſſimulandum, quod inſtar portenti Sadeel ſomnianit*, eſſe Eccleſiam Catholicam totum Theologicum quantitatis continuę ſimul & diſcretæ; quod in nullo, *inquit*, corpore Phyſico cernitur, niſi in hoc, *vnde Theologicum totum vocat: Hoc autem probat*, quia vocatur corpus & grex, *quaſi in corpore myſtico eueniret, quod in Phyſico, in quo fit continuatio partium & membrorum, & meus pes non eſt alterius corporis pes, ſed mei: At in myſtico nõ ſic: Sed ſicut Apoſt. ait, Sicut in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra, vt Diaconi ſunt oculi, & aures Epiſcopi, ad luſtrandũ oculis omnia, & nunciandum Epiſcopo ſecundùm Apoſtolicam conſtitutionem, & quos mittunt ad prædicandum, ſunt pedes eius; quia non poteſt in omnibus locis ſuæ Diœceſeos prædicare verbum. Nihil horum Sadeel homo præceps & inconſideratus cogitauit. Sed ita dixit, Eccleſiã eſſe corpus quantitatis cõtinuæ, quaſi membra myſtica eſſent, ſicut membra Phyſica, quæ non ſunt alterius corporis membra, ſed ſui corporis, in quo habent continuationem. Dicit præterea Sadeel pag. 36. & quia*

Commentum Sadeelis.

Portentũ, quod Sadeel ſomnianit, totũ Theologicũ quantitatis continuæ ſimul & diſcretæ.

huius

*huius sæculi cancellis Turrianus circumscribit Ecclesiam. Falsum* »
*etiam est hoc, & dicit tantum, quod nunquàm poterit probare; nisi* »
*fortè, quia dico cum Augustino, & cum omnibus sanctis Patribus,* Commentum Sadeelis.
*Ecclesiam Catholicam esse diffusam per cunctum orbem. Putat Sadeel non intelligens, quod dicimus, excludi ab Ecclesia Catholica eos, qui priùs in ea fuerunt. Quomodo igitur in 5. cap. libri mei prioris, quo Sadeeli respondi, sic scripsi? Est quidem substantia Ecclesiæ, quæ una est, & quæ ab initio cœpta est congregari, sicut ait Propheta; Memento Domine congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Deinde nititur refellere Sadeel, captiosè tamen, vt docebo, quod dico, Ecclesiam Catholicam esse congregationem visibilem omnium Ecclesiarum particularium visibiliũ per cunctum orbem*; Quia si actu, *inquit*, esset visibilis huiusmodi Catholica congregatio omnium visibilium Ecclesiarum particularium, iam desinerent Ecclesiæ particulares esse actu visibiles; esset enim vnum τὸ δέ τι, id est, vnum hoc aliquid. *Vult autem probare hoc exemplo captioso.* Proponantur, *inquit*, decem acerui seorsim collocati & dissiti; possis quidē mentis opera conficere vnum aceruum Catholicum ex illis aceruis omnibus: verùm hæc aggregatio non erit actu & re ipsa: sed cogitatione tantùm, ac propterea non erit visibilis, Quod si reuera, & actu simul colligas decem aceruos, tunc dices, non iam esse decem aceruos, sed vnum aceruum visibilem ex omnibus illis collectum. Ex quibus intelligi potest, quamdiù particulares Ecclesiæ erunt visibiles, vt particulares, Catholicam Ecclesiam non esse visibilem; & vicissim, cùm Ecclesia Catholica, hoc est, tota erit visibilis, tunc particulares Ecclesias, non iam futuras visibiles, vt particulares; itaque Catholica Ecclesia, ne eo quidem sensu, quo Turrianus loquitur, visibilis est. Ac ne id quidem licet per Philosophiam, cuius auxilium Turrianus implorauit. *Hactenus Sadeel in vaniloquium conuersus, sicut Apostolus de similibus ait. Comparat Sadeel de-*

Quo exemplo captioso refellat Sadeel, quod dicimus Ecclesiã Catholicam esse cõgregationem omnium Ecclesiarum particularium visibiliũ.

cem

Quomodo exemplũ captioſũ Sadeelis redarguatur.

cem aceruos cum decem Eccleſiis particularibus & viſibilibus, & totam congregationem aceruorum, cum tota congregatione Eccleſiarum. Videamus nunc, quid ſit in tota congregatione Eccleſiarum, quòd eam faciat non cogitatione vnam, ſed forma & actu, quod non eſt in congregatione decem aceruorum ſeparatorum, qui, niſi cogitatione, non ſunt vnus aceruus. Docet natura, & venator naturæ Philoſophus, non poſſe multa ſuppoſita fieri vnum, niſi vnitate formæ; & vnitatem formæ, nõ poſſe eſſe, niſi in vnitate ordinis; ſicut eſt forma multitudinis ordinatæ in Eccleſiis particularibus, quæ habent ſingulæ ſingula Capita, quæ ſunt earum Epiſcopi: In vnoquoq; autẽ Epiſcopo vnitur multitudo, quæ eſt in populo, ſiue populis eius; vt illa Eccleſia, ſicut dicit beatus Cyprianus, ſit plebs Epiſcopo ſuo adunata, vt grex ſuo Paſtori adhærens. Rurſus iſtæ Eccleſiæ particulares & reliquæ ſimiliter, quæ ſunt tanquàm multa ſuppoſita, non poſſunt actu fieri vnum, niſi vnitate item formæ, neq; vnitas formæ eſt, niſi in vnitate ordinis, quam tribuit congregationi omnium Eccleſiarum vnus primus Epiſcopus, in quo omnes Eccleſiæ particulares vnitæ alioqui ſuis Epiſcopis, ipſæ & Epiſcopi earum actu vniuntur. Ita fit, vt ſint omnes Eccleſiæ particulares vnitæ ſecum ſingulæ, & interſe omnes, quæ ſunt vnitæ vni Capiti; à quo accipit formam & originem vnitatis congregatio omnium Eccleſiarum actu, & non cogitatione tantùm; quæ nihil aliud eſt, quàm fictio mentis. Hæc congregatio, quæ Eccleſia Catholica dicitur & eſt, vna eſt, quæ differt forma ab illis omnibus particularibus, ſicut differt BA, Syllaba, à B, A, ſeparatis, id eſt, totum à partibus. Longè melius ſat ſcio, V. C. intelliget hæc, quàm Sadeel, qui, vt video, factus eſt tanquàm aſpis ſurda, quæ ſecundùm Prophetam obturauit aures ſuas. Satis patet iam, quemadmodum ex illis aceruis decem, niſi cogitatione, non poſſit fieri vnus; aut, ſi actu fiat vnus, non iam remaneant illi decem, qui priùs ſeparati erant; quia non vnitur actu vnitate formæ in vnitate ordinis poſitæ, cum illis decem alioqui ſeparatis inter ſe, & remanentibus ſaluis; quin potius delentur decem aceruis

Vnde multæ Eccleſiæ particulares, vt fiant actu vna, formam vnitatis accipiãt.

Quomodo totũ à partibus, ex quibus conſtat, diſtinguatur & ſeparetur.

*acerui, vt fiat ex eis actu vnus. Nihil simile fit in Ecclesiis, & in congregatione earum Catholica. Causam dixi. Sed de his plura dicenda erunt, cùm ventum erit ad alias cauillationes, quibus fœcundissimus cauillator abundat.* Sextò, *inquit*, & postremò quærendum est, rectenè dicatur homo mortalis, quicunque tandem sit, Caput Ecclesiæ Dei; *Et paulò pòst*: Mira est Pontificiorum insolentia, qui quod Christi proprium est, homini mortali (& quali mortali?) tribuant. *Duo in primis sanctissimus Sadeel ita odit, vt paratus sit ad inferos descendere, priusquàm cedat odio, & κακοδοξίᾳ, Ecclesiam, scilicet, visibilem, & Caput eius Pontificem Romanum. Caussam nō reticuit Caluinus, quem Sadeel inter Doctores suos numerat. Sic enim scripsit in suis pestiferis & Hæreticis institutionibus, cap. 8. de fide, art. 30. ignorans quid scriberet;* Nam, si Ecclesia, *inquit*, secundùm eum modum consideratur, cuius reuereri iudicium, cuius auctoritati deferre, cuius monitionibus parere, cuius castigationibus commoneri, cuius communionem religiosè in omnibus colere oporteat, Ecclesiam illis *(nos autem dicit)* concedere non possumus, quin subiectionis & obedientiæ necessitas nos maneat. *Addere debuit, ne quid dissimularet, sed nos hoc omni studio & via declinamus. O furiosam impietatem, ô cœcam mentem. Deinde respondet Sadeel ad locum Pauli ad Corinth. de parte illius analogiæ corporis humani, non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij, quod ego argumentabar, non posse quadrare in caput Christum, Respondet, inquam,* retulisse etiam Augustinum hunc locum ad Christum, *falsum est. Non enim in illa Epist. 57. Augustinus illam analogiam explicat, neq; de illo loco analogiæ meminit. Sed, postquàm meminit de diuisione gratiarum, quæ fiunt ab vno Spiritu in corpore mystico Christi, quod est Ecclesia, hoc tantùm dicit: huius corporis caput est Christus, huius corporis vnitas nostro sacrificio commendatur. Planè igitur demonstrat Sadeel, nihil hìc cauillari potuisse, quin confitendum necessariò sit, aut vacare illam partem analogiæ de ca-*

Quare Confessionistæ Ecclesiã Catholicam visibilẽ, & Caput eius visibile oderit, causam expresit Caluinus Doctor Sadeelis.

Quomodo Sadeel nihil cauillari potuerit, in loco Epiſ. Pauli, de analogia myſtica capitis.

*pite, quod non poſsit dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; aut, ſi non vacat; vacare enim abſurdum eſt, neceſſariò pertinere ad Caput Eccleſiæ, quod eſt Pontifex. aut det Sadeel aliud Caput, cui dicere hoc conueniat. Habet igitur non ſolùm rem capitis in ſcriptura, vt demonſtraui; ſed etiam ipſum verbum capitis, quod requirebat. Nihil reſpondeo ad ludos miſeri Sadeelis de Ieſuitis, pedibus infimis, quibus Pontifex non poſsit dicere, non eſtis mihi neceſſarij. Iudicet C.V. an hæc ſint digna homine cordato, & habente aliquid ad reſpondendum; an potiùs nihil habente. Quòd rurſus repetit Sadeel,* nomen Capitis, quod Chriſto conuenit, *(propria, ſcilicet, virtute)* non poſſe communicari cum Pontifice, *vt Pontificem decet, (id eſt, participatè) probaui per ſcripturam falſum eſſe, ſiquidem rem capitis oſtendi, tribui Pontifici in ſcriptura. Vbi autem res eſt, non eſſe contendendum de nomine ſecundùm Apoſtolum. Deinde, quòd argumentatur Sadeel;* Sicut omnes Eccleſiæ viſibiles aggregatæ vnam Catholicam viſibilem cõſtituunt; ſic omnia Capita ſingularum Eccleſiarum vnum Caput viſibile conſtituunt. *Non argumentatur contra me, quin potiùs nobiſcum facit eius argumentatio: Nos enim profitemur, Pontificem Romanum, ſecundùm veritatem, Epiſcopum Epiſcoporum eſſe, quod eſt, eſſe Caput eorum viſibile. Poſtremò dicit ridens,* mirificam eſſe Philoſophiam, dici Põtificem Caput Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ ſimul, quæ eſt particularis Eccleſia; atq; ita ſimul eſſe Caput Catholicum & particulare. *Si Eccleſia Catholica eſſet καθ' ὅλου, quod eſt in mente, & fit per abſtractionem intellectus à ſingularibus, & non ſicut Sadeel noua Logica vtens dixit, per reductionem multorum particularium in vnum; certè alienum eſſet à Philoſophia, dicere aliquid vniuerſale & particulare. At non ſic dicitur à nobis vniuerſa & Catholica Eccleſia, ſed, quia eſt tota ex omnibus ſuis partibus congregata; Nihil autem abſurdi eſt, præeſſe toti Eccleſiæ, id eſt, eſſe Caput vniuerſale vniuerſæ Eccleſiæ, & proprium Caput Eccleſiæ, in qua reſidet, cuius non eſt alius Epiſcopus præter ipſum, ſicut ſunt in aliis*

Quomodo nihil abſurdi ſit præeſſe toti; & parti ſpecialiter.

*in aliis Ecclesiis Episcopi proprij, vniuscuiusq; suus. Sed, vt discat Sadeel, quid apud veteres Catholica Ecclesia significat, recitabo hîc, quæ de hoc nomine Cyril. Hierosolymitanus scribit in Catechesi 18. Si quando, inquit, ciuitates adieris, ne quæras solùm vbi est* τὸ κυριακὸν, *id est, templum Domini: Impiorum enim sectæ speluncas suas templum Domini appellare solent. Neq; rursus quæras, vbi est Ecclesia; sed potiùs vbi est Catholica Ecclesia. Hoc est præcipuum nomen huius Catholicæ, & Parentis omnium nostrûm Ecclesiæ, quæ est Sponsa Domini nostri* IESV *Christi, filij Dei vnigeniti. Et paulò pòst: Reges, inquit, gentium & regionum potestatem quidem habent terminis circumscriptam: Solius verò Ecclesiæ Catholicæ potestas, nullis terminis definita, in cunctum orbem, pertingit. Et paulò suprà, rationem verbi Catholici, copiosiùs explicans; Catholica, inquit, Ecclesia dicitur, quia à finibus terræ vsque ad fines pertingit, & quia docet* καθολικῶς, καὶ ἀνελλειπτῶς, *id est, generatim & perfectè, quæcunq; dogmata scire oportet, de iis, quæ videntur, & quæ non videntur, de cœlestibus & terrenis; & quia omne genus hominum subiicit religioni, tùm potestates & Magistratus, tùm priuatos; & quia vniuersè curat omne genus peccati, quod per animam & corpus cõsummatur; & quia continet in se omnem speciem, & formam virtutis in operibus, in sermonibus & variis charismatibus. Ecclesia autem appellatur* φερωνύμως, *id est, vt ipsum nomen declarat, quia vocat omnes, & congregat in vnum. Hactenus Cyrillus.*

Quid Cyrillus Hierosolymitanus de verbo Catholici scripserit.

## CAPVT SEXTVM.

ACCEDIT *tandem Sadeel ad solutionem Syllogismi.* Quibus, *inquit*, expositis, iam excutio secundum Syllogismum ex Turriani disputatione collectum. Maior, *inquit*, valet in Physicis; scilicet, omne corpus visibile habet caput visibile; *immò valet etiam in corpore mystico, quod est Ecclesia, quia non decet, neq; conuenit, vt corpus videatur sine capite; quod monstri potiùs simile esse videtur. Prioremitaq; sumptio-*

*nem non probat Sadeel eſſe falſam, & probo ego eſſe veram, à conuenientia & decentia.* Sed Eccleſia Catholica eſt corpus viſibile. Hæc minor, *inquit*, ſcatet multis erroribus. Primus error, quòd vrgeat nomen Catholicæ Eccleſiæ, & in vocabulo Catholicæ vim ſuæ argumentationis conſtituat; quod tamen vocabulum nuſquam extat in ſcriptura. *Ad hoc reſpondemus. Etſi vocabulum Catholicæ Eccleſiæ non eſt in ſcriptura; eſt tamen res, quam qui negat, & verbum requirit, ſcripturam negat, & de verbo contra Apoſtolum pugnat. Quòd autem res Eccleſiæ Catholicæ ſit in ſcriptura, demonſtraui ego ſuprà; imò & nomen oſtendi, & teſtantur omnes illi loci ſcripturæ, quibus Auguſtinus, in lib. de vnitate Eccleſiæ, cõtra literas Petiliani Donatiſtæ, probat, contra Donatiſtas ſpectari Eccleſiam Catholicam diffuſam, per cunctũ orbem.* Secundus error; quòd, dum vult ſequi veteres, qui vocabulum illud vſurpârunt, à nobiliſſimorum veterum, adeoque ab ipſius Symboli vetuſtiſsimi ſententia recedat, vbi nomen Eccleſiæ Catholicæ vniuerſam electorum Eccleſiam ſignificat, ac proinde inuiſibilem. *Docui & probaui paulò ſuprà erraſſe Sadeelem, & quidem turpiter, qui ex eo probauit, Eccleſiam eſſe inuiſibilem, quod in Symbolo diceretur, Credo Eccleſiam Catholicam.* Ergo Eccleſia, *inquit*, eſt inuiſibilis. Non enim, *ait*, viſibilia creduntur: ſed inuiſibilia. *Prætermiſit Sadeel malus Catechiſtes, Sanctam. Sic enim dicitur in Symbolo: Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam; Et ſanctificatio Eccleſiæ eſt, quæ cum vnitate Eccleſiæ creditur, tanquàm res ſpiritualis; vt antea dixi & probaui. Prætereà argumentabar; Eccleſiam Catholicam electorum Eccleſiam eſſe hominum Chriſtianorum: Homines autem Chriſtianos viſibiles eſſe: Quare Eccleſiam Catholicam electorum viſibilem eſſe. Deinde confitetur, me in vocabulo Eccleſiæ Catholicæ ſequi veteres, & audet ſomnium ſuum veteribus anteponere.* Tertius error in Homonymia dictionis inuiſibilis. *Falſum eſt hoc. Vno enim modo accipio ſemper viſibile in quæſtione noſtra, pro eo, quod eſt aſpectabile oculis*

Quomodo errores, quos Sadeel dicit ſe notaſſe in Syllogiſmo, ſint totidem commenta eius

*oculis corporeis; sicut Sadeel semper eodem modo accipit inuisibile, proeo, quod non est oculis aspectabile.* Quartus error, quòd Ecclesiam Catholicam circumscribit huius sæculi finibus, atque ita inde Prophetas & Apostolos excludat. *Affirmo reum esse mendacij, donec in meis libris, vel in vno tantùm loco hoc ostenderit.* Commentum Sadeelis. Quintus error, quod non distinguit, qua ratione Ecclesiæ particulares dicantur visibiles; existimat enim ideo fieri tantùm, quòd homines ipsi sint visibiles; cùm tamen potiùs visibiles dicantur, propter formam exteriorem & ordinem Ecclesiasticum. *Hic quintus error, est quintum mendacium Sadeelis, aut ostendat, vbi ego existimo hoc, quod dicit, & ego ostendam, me non sic existimasse, vt fingit iste Figulus. Vt enim alios locos omittam, cap. 7. libri mei, quo illi respondi, sic scripsi. Rursus ergo inducamus hanc rationem contra Antonium; Baptismus, qui vnus est, & qui facit nouas creaturas, ex quibus congregatur Ecclesia Catholica, & qui est sigillum fidei, quæ vna est, est Sacramentum visibile cum reliqua dispositione Ecclesiarum noui Testamenti. Igitur etiam ex hac parte fidei, propter Sacramentum fidei visibile, quod est Baptismus, vnitas Ecclesiarum visibilis est. Hactenus mea. An sunt hæc eius, qui existimet, visibiles esse Ecclesias particulares, ob id tantùm, quòd homines ipsi sint visibiles?* Sextus error in Philosophia, (cuius opera vti voluit ad suam sententiam explicandam) quòd statuat τὸ καθ' ὅλου esse visibile: & confundat cum eo, quod dicitur τὸ ὅτι, atq; adeò non intellexit, quomodo Ecclesia Catholica habeat rationem totius. *Hactenus Sadeel. Hîc etiam dicit tantùm, & non probat, quia mendacium probari non potest. Probemus ergo falsum esse, quidquid hîc dicit, & ipsum esse, qui non intelligit, quod me dicit non intelligere. Ego c. 7. prioris libri sic scripsi. Tua ergo argumentatio hæc est:* τὸ καθ' ὅλου *aliis, quàm mentis oculis, nõ posse videri; Ecclesiam Catholicã esse* καθ' ὅλου, *Ecclesiam igitur Catholicam, aliis quàm mentis oculis nõ posse videri.* Commentum Sadeelis. Licet enim, *inquis*, particulares omnes

Eccleſiæ ſint viſibiles; quoties tamen à nobis reducuntur ad vnam Eccleſiam, propter eandem fidem, eadem Sacramenta, & cætera eiuſmodi, illud καθ' ὅλου nõ iam oculis, ſed ſola mentis contemplatione percipitur. *Hæc ſunt Sadeelis à me recitata ex libro eius. Recitemus modò, quæ ego ibidem reſpondi, vt intelligatur, fictũ eſſe à Sadeele, quod ait, ſtatuere me, τὸ καθ' ὅλου eſſe viſibile. Immò nunquàm conceſſi Eccleſiam Catholicam per cunctum orbem diffuſam eſſe καθ' ὅλου, vt τὸ καθ' ὅλου in mente tantùm eſt, & non extra mentem. Eccleſia enim Catholica per vniuerſam terram dilatata, extra mentem eſt. Immò ipſe Sadeele eſt, qui Eccleſiam Catholicam, per omnes mundi partes, diffuſam καθ' ὅλου in mente eſſe contendit, cùm ſit potiùs hoc aliquid, ſiue τό δέτι. Ipſe ergo eſt, qui τὸ καθ' ὅλου & τὸ δέτι confundit. Ego verò ſeparo, & de hoc cum eo iam diù contendo. Itaq; mira eſt huius Hæretici, ſiue ſtupiditas, ſiue malitioſa fallacia; vt vel nõ intelligat ſe mentiri: vel ſi intelligit, non putet, ſe deprehendendum eſſe in mendacio: aut non curat. Sic igitur ſcripſi. Damus Antoni, Eccleſiam, quam diffinimus, καθ' ὅλου eſſe, & vt eſt καθ' ὅλου, extra mentem non eſſe, ac proinde non eſſe viſibilem. Sed rurſus videris ignorare τὸ καθ' ὅλου, quod ſub ſenſum non cadit, ſed tantùm eſt in mente, re ipſa non ſeparari à ſingularibus ſub ſenſum cadentibus, quod tuus Ariſt. lib. 1. de Anima, ſignificauit, cùm dixit, vniuerſale aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe. Si igitur non ſeparatur à ſingularibus, aggregatio omnium ſingularium erit quoddam totum ſenſibile, conſtans ex ſingularibus omnibus, quæ ſunt eius partes ſenſibiles. vt exempli cauſſa: Homo quod eſt καθ' ὅλου, re ipſa non ſeparatur à ſingularibus hominibus, quorum omnium vniuerſus numerus, vbicunq; ſint, totũ quoddam eſt, quod vocari ſolet integrale, conſtans ex omnibus ſingularibus, tanquàm partibus ſuis. Et paulò pòſt. Sic enim de Eccleſia dicimus τὸ καθ' ὅλου re ipſa non ſeiungi à ſingularibus Eccleſiis, quas ipſe confiteris viſibiles eſſe. Quare omnium vniuerſa multitudo, totum quoddam eſt, conſtans ex omnibus ſingularibus Eccleſiis, tanquàm partibus ſuis,*

Quomodo, quæ Sadeel audet fingere, à me dici, cõuinco eum ipſum dicere, & me ſemper contrà dixiſſe.

*quod*

quod totum simile est vniuersali, vt Arist. lib. 5. primæ Philosophiæ, & lib. 1. Physicorum, tradit, quia hoc continet singularia: sicut illud partes. Hic etiam apertè negaui, Ecclesiam Catholicam per cunctum orbẽ diffusam, & ex omnibus singularibus Ecclesiis congregatã, esse τὸ καθ' ὅλου, sed potiùs esse totum quoddam, & dixi, in quo esset simile vniuersali. Et rursus paulò pòst sic scripsi, Percontabor ego te, natura humana quatenus communis est, id est, considerata in omnibus singularibus, communiter vt species, potestnè videri extra mentem? Minimè, respondebis: Quia huiusmodi natura communis sola cogitatione consistit. At eadem in atomo cum ὁριστικοῖς ἰδιώμασι χαρακτηρίζεται, id est, cùm signatur proprietatibus, quas indiuiduantes vocant, iam tunc cernitur, sentitur, tractatur. Ad eundem modum dicendum tibi est, Ecclesiam communem, quam vocas τὸ καθ' ὅλου quatenus communis est, solùm oculis mentis videri, quia commune vt species, vel genus μόνη ἐπινοίᾳ ὑπάρχει θεωρητὸν quatenus verò proprietatibus ὁριστικοῖς afficitur & signatur, id est, proprietatibus, quas vt dixi, indiuiduantes in Schola vocant, iam sub aspectum & alios sensus cadit: neq; re ipsa ab ipsis singularibus Ecclesiis separari potest, quarum vniuersa multitudo, quæ ὁλότης quædam est, vt vocabulo Dionysij vtar, Catholica Ecclesia nominatur, & est. Huiusmodi Ecclesiam Catholicam diffusam, per vniuersas mundi regiones & oras (quæ, quia tota est, nihil aliud est, quàm congregatio partium, (Sic enim definit totum Arist. 1. Physicorum, & 4. & 3. Cœli) Deus Pater Filio suo Christo Iesu promisit & dedit, sicut scriptum est: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Hactenus ego illic. An confundo τὸ δέτι id est, hoc aliquid, & καθ' ὅλου? aut dico τὸ καθ' ὅλου esse visibile? an potiùs non dico? & sæpius repeto Ecclesiam Catholicam esse τὸ δέτι? id est, hanc congregationem omnium Ecclesiarum particularium, quæ per cunctum orbem diffusa cernitur? & nego semper esse Ecclesiam Catholicam τὸ καθ' ὅλου, vt τὸ καθ' ὅλου solùm est in mente, & visibile? Ecclesia autem Catholica

Quomodo demonstrem Sadeelis esse propria, quæ mihi affingit:

extra

*extra mentem eſt, non ſeparata, re, à ſingularibus Eccleſiis, quarum congregatio eſt. Contraria his, quæ mihi affingere voluit Sadeel, ſentit ipſe fictor Sadeel. Ipſe, inquam, Eccleſiam Catholicam, quæ eſt τὸ δέ τι, id eſt, hoc aliquid, quod viſibile eſt, facit τὸ καθ' ὅλου, id eſt, vniuerſale abſtractum, quod eſt in mente tãtùm, & inuiſibile, & vtrumq; confundit, cùm viſibile mutat in inuiſibile: & inuiſibile mutat in viſibile. Ita factum eſt, vt, dum Sadeel inſignis fictor fingit dicendo tantùm, omnia, quæ contra eum ſcribo, plena eſſe erroribus; omnia contrà, quæ ipſe contra me ſcribit reſpondendo, plena ſint erroribus, non nomine, ſed re; vt ego ſuis locis non dico tantùm; ſed probo & conuinco. Hactenus reſponſum ſit ad Syllogiſmum ſecundum; cuius forma, cùm à Sadeele probata ſit, vt ab eo conſtructa, & ſumptiones, quas ipſe dixit tantùm, eſſe falſas, & non probauit; ego verò contrà dixi, & probaui eſſe veras, efficitur, vt neceſſitate conſequentis, ac ratione connexi ex ſumptionibus conuictum ſit, eſſe Eccleſiæ Catholicæ vnum Caput viſibile.*

Quomodo forma Syllogiſmi à ſe conſtructa conuictus ſit Sadeel.

## CAPVT SEPTIMVM.

*TERTIVS Syllogiſmus. Conſtituto ſiue poſito fine Eccleſiæ, ea, quæ ad illum finem referuntur, eſſe quoq; neceſſe eſt. Sanctorum conſummatio eſt finis Eccleſiæ conſtitutus. Quare poſita conſummatione Sanctorum, ea, quæ ad Sanctorum cõſummationem referuntur, eſſe quoq; neceſſe eſt. Porrò hæc ſunt, quæ ad Sanctorum conſummationem referuntur; Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores & Doctores, qui omnes ſunt, & manent in ſucceſſionibus ſuis, & inter Apoſtolos vnus, ſuper quem ædificatur Eccleſia, vſq; ad conſummationem Sanctorũ, cui ſingulariter datæ ſunt claues regni Cælorum, & qui ſingulariter iubetur paſcere omnes oues Chriſti. Is autem eſt Petrus manens in ſucceſſore ſuo Pontifice Romano. Hæc Sadeel confitetur ex meo libro collegiſſe, & notat multa, quæ dicit eſſe neceſſaria ad tertij Syllogiſmi ſolutionem. Notabo ego rurſus, quæ ille diſſimulat ex meo libro ad ea, quæ hîc dicit, pertinentia; quia non potuit*

*tuit refellere; & nisi dissimulasset, cauillari aliter non potuisset. Postquàm de duplici fine perfectionis siue absolutionis rei, & cuius gratia, disseruit;* Ex quo fit, *inquit*, vt mirari satis non possim, quã ob rem, Turrianus consummationem Sanctorum non in futuro sæculo constituit, sed præsentis vitæ finibus includat; quò nihil dici potuit ineptiùs, & Theologo indigniùs. *Non respondebo ad ea, quæ statim subiunxit contra Ecclesiam Romanam, digna homine impio, Blasphemo & Hæretico. Cùm, cap. 21. prioris libri, explanarem locum Apostoli Epist. ad Ephes. c. 4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorũ; & quæ sequuntur; subiunxi, finem Hierarchiæ Ecclesiasticæ expressit Apostolus, quem consummationem Sanctorum vocat, ad quam refertur ipsum ministeriũ multiplex Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, Pastorum & Doctorum, pro ratione vniuscuiusquè. At si finis est; &, quæ ad finem referantur, sint necesse est. Est autem finis in Ecclesia* καταρτισμὸς τῶν ἁγίων, *id est, consummatio Sanctorum. Consummatio enim siue perfectio, siue integratio, siue refectio, quæ* καταρτισμὸς *Grecè dicitur, non adhibetur, nisi cui aliquid deest. In supera autem & cœlesti Ecclesia nihil deest vlli, nec ibi fit huiusmodi consummatio Sanctorum, quam Apostolus* καταρτισμοί *appellat. Suntigitur nunc in Ecclesia, quos Deus propter hunc finem posuit in Ecclesia: aut si nõ sunt, nec hic finis est, quod fieri non potest. Hactenùs ego in illo capite. 21. Eratnè Theologo & aliorum Magistro dignum, ignorare quid hoc verbum* καταρτισμὸς *id est, consummatio significaret? & vtrùm in altero sæculo locum huius verbi significatio habere posset? Non est hoc verbo vsus idem Apostolus, in Epist. ad Hebr. c. 11. cùm loquens de consummatione futura per resurrectionem, dixit, & hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur; Græcè enim est,* ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι. *Et beatus Petrus, in Epist. priore c. 5. Loquens*

Quomodo ignoratio verbi Græci, quod interpres Latinus vertit consummatio, fecit vt totũ locum Epist. ad Eph. Sadeel deprauaret malè intelligendo.

*de hoc eodem fine rei perfectæ & abſolutæ, de quo in Epiſt. ad Eph. Deus, inquit, omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriã, in Chriſto Ieſu, modicũ paſſos, ipſe perficiet, Græcè eſt,* ἀυτὸς καταρτίσει *cõfirmabit, ſolidabit fundabitq; vt 1. Pet. c. 5. Hæc quoq; ad tẽpus huius ſæculi pertinent. Et in Ep. ad Gal. c. 6. Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in Spiritu lenitatis, Græcè eſt* καταρτίζετε. *An pertinet huiuſmodi inſtructio ad alterũ ſæculum? Adminiſtraturnè in altero ſæculo Sacramentũ pœnitentiæ cõfitentibus peccata? Sed quomodo, qui verba non intelligit, res verbis ſignificatas intelliget? Longum eſſet, ſi omnia, quæ Sadeel tanquàm de Cathedra docens, hic tradit, mihi refellenda eſſent; Solùm cauillationes, quibus mea tentare voluit, attingã, ne imprudẽtes decipiat, tacens mea & ſua infarciens.* Quarto, *inquit*, quærendum eſt, an rectè dicatur aliquid per ſucceſſionem, aut vicariam ordinationem idem eſſe, aut permanere. Nam hæc eſt arx & turris illa Turriani, in quam omnem Pontificiam gazam coniecit. *Sed videamus, quomodo hanc arcem oppugnat, vt gazam Pontificiam diripiat, id eſt, chariſma Pontificalis Præfecturæ, quam Chriſtus Petro, propter illam cæleſtem Confeſſionem, & ſucceſſoribus eius dedit, compilet.* Agè verò, *inquit*, expendamus, an hoc genus loquendi implicet contradictionem, aliquid idem eſſe & manere per ſucceſsionem, aut vicariam ordinationem. atque id certè deprehendant vel ij, qui vixdum procul ipſam artem diſſerendi ſalutârunt. Quid enim aliud ſucceſsio ſignificat, quàm eum nõ eſſe ampliùs, cui ſuccedítur? Et quis porrò ſenſus eſt vicariæ ordinationis, niſi aliquem ordinatum eſſe in locum & vicem alterius? Quare qui dicit Petrum in Pontifice ſucceſſore eſſe & manere, & Apoſtolos in Epiſcopis ſucceſſoribus, is profectò dicit, aliquid ſimul abeſſe & adeſſe. Nam ſi ſuccedítur Apoſtolis; Abſunt igitur Apoſtoli. Si Apoſtoli hîc ſunt, & manent; Non igitur ſuccedítur Apoſtolis. Ineptum

ptum igitur est, & secum pugnans loquendi genus (nisi Hyperbolicè intelligatur) *Hactenus Sadeel, pag. 51. & 52. Hic quoq; dissimulat Sadeel, quæ ego huc pertinentia scripsi in meo libro, cui nunc respondet, c. 12. Immò, quod peius est, plus tunc de ratione succedendi intelligebat, quàm nunc, vt sit ex illorum numero, qui in peius, sicut Apostolus ait, proficiunt. Sic igitur scripsi in illo capite, pag. 130. argumentabatur Sadeel, non posse perpetuò ædificari Ecclesiam super Petrum, tanquàm ministeriale fundamentum,* quia, cùm Petrus, *inquit*, non potuerit esse perpetuò in terris, eius quoque ministerium non potuit esse perpetuum. At Christus dixit, ædificabo, id est, exponente Turriano, semper ædificabo Ecclesiam super hanc petram, ergo hæc petra Petrus esse non potest. *Hæc Sadeel. Respondi ego, ad hoc argumentum quid respondeam, Antonius dicit; Respondet, inquit, (me dicit) non per se quidem esse Petrum perpetuò in terris, sed in successore suo, videlicet, Romano Pontifice. Gratulor, dixi ego, tibi Antoni, quòd non ignoras successores, & eum, cui succedũt, vnum dici; vnum siquidem dicuntur, quorum ratio, quæ substantiam explicat, eadem est, vt tuus Arist. lib. 5. primæ Philosophiæ tradit. Et idem Arist. paulò pòst. Quæcunq; non differunt inter se, quatenus non differunt, vnum esse inter se, docet. Pontifices autem, nec vt homines, nec vt Pontifices à Petro, nec inter se differunt. Vna enim & eadem ratio charismatis Pontificalis est; Esse enim maiorem aut minorem sanctitate non facit, quin vnum sint; ipso etiam tuo Aristotele auctore. Sic enim ait: Et, quod auctum est, & minuitur, vnum est, quia ratio est vna, vt in planis vna speciei ratio. Sic enim triangulus maior & minor, si sunt vnius speciei, vnum dicuntur. Hæc igitur, cùm nõ ignorares, vidisti necesse esse, tibi negare successores Petri. Sed videamus, quam rationẽ ad negandũ attulisti. Quia, inquit, de successore Petri, ne verbũ quidem in loco Matth. Hæc ego in illo loco. Percunctemur nunc Sadeelẽ, quare illud hoc loco dissimulauit? quare nõ cõfutauit? quare? quia fallere voluit, sed fortasse loco proprio faciet. Pergit Sadeel, & dicit* pag. 53.

Quomodo Sadeel nihil respõdens ad confutationem superiorem, eadem postea repetit.

*pag. 53.* totã igitur quæſtionẽ abſoluamus hac ratione concluſionis, *pro eo quod dicere debuit, hac concluſione rationis,* Si Apoſtoli nõ poſſunt eſſe & manere in Eccleſia, quin ſit & maneat Apoſtolatus; & qui Epiſcopatum exercent, non exercent Apoſtolatum; Differt enim Apoſtolatus propriè ſumptus ab Epiſcopatu, vt patet ex his verbis Apoſtoli differentis de ordinariis Eccleſiæ Paſtoribus; Si quis Epiſcopatum deſiderat, &c. Certè, cùm Epiſcopi Apoſtolatum non exerceant, ſequitur, Apoſtolatum per Epiſcoporum ſucceſsionem in Eccleſia eſſe & permanere non poſſe. *At ego cap. 14. lib. mei probaui, auctoritate Apoſtoli miniſterium Epiſcopi, miniſterium Apoſtolatus fuiſſe & eſſe: & Epiſcopos, qui in poteſtate docendi verbum Dei, & ſoluendi atq; ligandi Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, Apoſtolos quoſdam dici & eſſe. Cur illa hîc non refutauit Sadeel? Cur ſine refutatione eorum, quæ illic dixi, eadem hîc repetit, niſi quia decipere vult incautos? Legat igitur totum illud Caput, 14. qui hæc Sadeelis leget, vt inſidias & fraudem illius agnoſcat. Ego vt in Domino de contumeliis eius in me glorier, & vt eos ſaltem, qui iſtum ſequuntur, talis Magiſtri pudeat, tantùm recitabo, quibus verbis hanc quæſtionem, vt ipſe vocat, abſoluere ſe dicat.* Quam ob rem, *inquit,* cùm Turrianus nobis proponat, eoſdem ſimul abeſſe & manere duodecim Apoſtolos in Epiſcopis innumerabilibus, æquales in maioribus & minoribus. Optemus iſti viro mentis ſanitatem, qui, vt alios falleret, ipſe ſibi vanis ac propè febrilibus ſomniis illudi paſſus eſt. *Hæc ille. Vbi nam ego propoſui, eoſdem Apoſtolos ſimul abeſſe & manere in Epiſcopis? Quomodo audet iſtud fingere? An non explicaui, qua ratione, qui ſuccedunt, & quibus ſuccedituꝛ, vnum eſſent? An non ſæpiùs dixi ſuccedere Epiſcopos Apoſtolis, non ὡς τοπροσώπως, ſed in poteſtate docendi, iudicandi, abſoluendi et ligandi? Quid igitur iſte σκιαμαχῶ, id eſt, cum vmbra pugnat, & aërem verberat? Deinde dicit:* Reſtant ea, quæ de Petro Turrianus affirmat ex tribus ſcripturæ locis depraua-

Quomodo Sadeel cõtumeliis, & commentis abundet.

tis,

prauatis, vt infrà copiosiùs dicendum erit. Ea sunt huiusmodi; super Petrum perpetuò ædificandam Ecclesiam. Petro singulariter datas esse claues regni Cœlorum. Denique Petrum singulariter iussum esse pascere oues Christi. Hîc non disputo de vera locorum expositione. *Hactenus Sadeel. Ergò nec ego hîc aliud dicam: sed reseruabo me ad eum locum. Sed ita, vt ad ea etiam, quæ hoc loco dicit, respondeam, sic enim ait:* At vt id, quod nobis propositum est, expediamus. Si super Petrum ædificatur Ecclesia; Petrus igitur est Ecclesiæ fundamentum: Et rursus: Si fundamentum est; per se igitur maneat necesse est, alioqui fundamentum non est fundamentum. Differt enim ædificatio à fundamento, quia hoc, vbi semel iactum est, suo loco ipsum per se manet. Illa autem continuatur, vsq; dum ad fastigium peruentum sit: ac tunc cessat ædificatio, hoc est, actio ædificandi, cùm ipsum ædificium perfectum est. Quare continuatio in fundamento non est, sed in ædificatione ipsa. *Hactenus Sadeel, qui fundamentum spirituale Ecclesiæ Catholicæ, quod est Petrus, comparat cum fundamento materiato; vt sicut materiatum fundamentum semel iacitur & per se stat, & non continuatur, sicut cõtinuatur ædificatio super fundamentum; Sic, si Petrus fundamentum Ecclesiæ est, per se stare debet. Sic iste bellus cæmentarius Ecclesiæ cogitat secundùm carnem. Qui, si spiritualibus spiritualia compararet secundùm Apostolum, id est, si ad spiritualia & diuina intelligenda spiritualem & diuinam reuelationem scripturæ sanctæ, quam iactat, & fidem, quæ cognitionem spiritualẽ præstat, adhiberet, (hoc autem fit in primis, cùm vetus Testamentum, quod spirituale est, ita interpretamur, vt consonet nouo; & nouum ita vt consonet veteri) nunquam in istã ἀτοπον φλυαρίαν se præcipitasset. Dicat igitur Sadeel, estnè aliquid simile scriptum in lege, aut Euangelio, de infirmitate fundamenti materiati ex lapidibus, & calce coagmentati, vt de caduca hominis vita? Non permanebit, inquit, Spiritus meus in homine in æternum,*

Quomodo Sadeel fundamentum Ecclesiæ spirituale cum fundamento materiato comparat.

*quia caro eſt. Eruntq; dies illius centum viginti annorum. Et in lib. Iob. Breues dies hominis; numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et in Pſal. 38. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquàm nihilum ante te. Et rurſus Pſal. 89. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur; dies annorum noſtrorũ in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, ampliùs eorum labor & dolor. Denique in Epiſt. ad Hebr. Conſtitutum eſt, inquit, hominibus ſemel mori. De fundamento autem ædium, quàm diù permanere & durare debeat, nihil huiuſmodi ſcriptum eſt, vt, ſicut Apoſt. dixit; nunquid Deo cura eſt de bobus, ſic dicere liceat, nunquid cura eſt Deo de lateribus & cementis? & multò minùs cura eſt, in hac ratione de inanimis. Illud enim non propter ædificia, ſed propter Iudæos & eorum ſupplicium ſcriptum eſt, quod Dominus reſpondit illi diſcipulo, qui dixit in Euangelio Marci. Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ, & reſpondens* IESVS, *ait illi: Vides has magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Non eſt igitur Petrus fundamentum, quod per ſe permaneat, quale eſt fundamentum materiatum. Sed eſt fundamentum myſticum Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum Chriſti, & Dei ædificatio myſtica, quod fundamentum per ſucceſſionem durat & durabit, vſq; ad conſummationem ſæculi, ſicut Dominus promiſit, cùm ait: Et portæ inferi nõ præualebunt aduersùs eam, ſcilicet, Eccleſiam, quam dixit ibidem ædificaturum ſe ſuper hanc petram. Ergo neq; præualebunt aduersùs eam petram, quam demonſtrauit Chriſtus, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Illa enim petra, id eſt, Petrus, qui mortalis erat, & vitæ breuis, quia ſuper eam ædificabat Eccleſiam, quæ vſq; ad conſummationem ſæculi duraturа erat; nec vllo vnquàm tempore à Tyrannis & hoſtibus viſibilibus, nec inuiſibilibus ædificium eius deturbandũ erat, conſequens neceſſariò fuit, vt poſt Petrum alius in locum Petri ſuccederet, & poſt illum item alius; & deinceps vſq; ad finem ſæculi, & conſummationem ædificationis Dei myſticæ.*

Quale fundamẽtum Eccleſiæ ſit Petrus.

*Vt hic*

*Vt hìciam fiat similiter, vt scriptum est de Sacerdotibus veteris legis, Et alij quidem, inquit, facti sunt Sacerdotes, idcircò, quòd morte prohiberentur permanere. Ipsa autem omnium experientia testis est, non potuisse vllos vnquàm Tyrannos & Hostes atq; Hæreticos, hoc ædificium Ecclesiæ euertere, nec eius fundamentum euellere, nec interrumpere. Quod si Hæreticus, sicut habet cauillationes ad contradicendum, ita haberet rationes probabiles, ne sic quidem liceret ei experientiam relinquere propter rationem, quin potiùs propter experientiam ait beatus Basil. relinquendam esse rationem. In iis verò dogmatibus ait idem, Quæ naturam superãt, experientiam relinquendam esse propter fidem. Nobis verò vtrumq; suppetit & experientia, & fides scripturæ. Proferat Hæreticus scripturam, quæ secundùm sensum Apostolicæ traditionis in Ecclesia Catholica conseruatæ, cuius testes sunt omnes antiqui Patres & Scriptores, dicat non esse super Petrum ædificatam Ecclesiam, & nos relinquemus experientiam propter fidem scripturæ. Confirmat autem hanc experientiam fundamenti nunquàm euulsi, nec interrupti alia experientia Ecclesiarum reformatarum, quas Confessionistæ vocant, quæ, quia illud quãtum in se est, tollunt, nolunt q; ab eo firmari in fide, plenæ sunt sectis variis, in dogmatibus fidei, & aliæ alias inter se anathematizant: Ecclesiæ verò Græcorum, etsi non sic inter se de fide dissident; tamen ex quo cæperunt redire ad vomitum discedentes ab hoc fundamento, capta Constantinopoli misera seruitute à Barbaro Tyranno Turca premuntur, à quo potestatem Sacerdotij fungendi accipiunt, vt Gennadius Scholarius Patriarcha Const. testatur. Qui hoc etiam testificatur, prædixisse illis hoc malum, in quo sunt, Nicolaum Quintum, Rom. Pont. Cùm enim nollent stare decretis Synodi Florentinæ redirentq; ad vomitum, literis ad eos scriptis, Omnia, inquit, scimus, toleramus tamen aspicientes in* IESVM *Pontificem vt Dominum, qui ficum illam infrugiferam, vsq; in tertium annum iussit seruare, cùm vellet illam agricola excindere, ne frustra terram occuparet. Scripsit autem Pont. Nicol. V. Epistolam, anno 1451. & capta est Constanti-*

Quare Ecclesiæ Confessionistarum plenæ sunt variis sectis Hæreticis.

De Ecclesiis Græcorum.

stantinopolis, anno 1453. natione Græcus fuit, & illis temporibus, & Synodo Florentinæ interfuit, & posteà Patriarcha Constantinopolitanus factus est, qui hoc testatur. Redeo ad id, quod Sadeel ait, debere fundamentum per se manere, & continuari. Non distinxit fundamentum animatum ab inanimato; metaphoricum à vero, & mysticum ac spirituale à carnali. Tametsi nec hoc quidem semper fundamento materiato vsquequaquè conuenit, per se scilicet permanere & continuari. Quid enim? si fundamentum parietis diruatur & labefiat? nonnè substruitur alterum, & sufficitur? &, quid aliud est hoc, quàm continuatio quædã, in locũ prioris fundamenti successio fundamenti noui, q̃ numero quidem aliud est, sed vi & potestate idem, q̃ à principio fuerat? Verùm in similibus non est requirendũ, vt nulla sit differentia; vbi enim nulla est differẽtia, nõ inducitur vlla quãtitas: &, vbi non inducitur quantitas vlla, nullus numerus inducitur; vbi autem nullus numerus inducitur, ibi vnum & idem est. Fecit igitur Christus hîc aliquid simile, vt in animalibus natura sit, quæ, sicut Philosophi tradunt, cùm non possint perpetuò permanere, quod ad imitationem diuinitatis natura desiderant, id assequuntur, quadam generatione & modo meliùs possunt. Generant enim vnumquodque sibi simile, in quo idem permanet non numero, sed specie. Sic sit per ordinationem Episcopi, quæ generatio quædam mystica est, vt, qui succedit per vicariam ordinationem, vt beatus Cyprianus loquitur, vnum sit cum illo, cui succedit, non numero, sed charismate potestatis & dignitatis. Quare si ille cui succedit, erat fundamentum Ecclesiæ, id est, si super illum erat ædificata Ecclesia, & super hunc item, qui successit, ædificata erit. Ad hunc modum continuatur fundamentum. Percunctabor hîc Sadeelem, an putet fuisse Moisen fundamentum Mosaicæ Hierarchiæ? Puto, non negabit; siquidem fuit Caput illius. Sicut autem non derogabat Deo, qui erat Caput eius Hierarchiæ virtute propria, vt Deus est Caput Christi secundùm humanitatem: Sic non derogabat, quòd esset idem Moises fundamentum illius Hierarchiæ, per virtutem à Deo communicatam. Huic autem fundamento semper succes-

De successione per generationẽ mysticam, quæ ordinatio.

Moises fundamentum Hierarchiæ Ecclesiasticæ.

*succesſit aliud & aliud in iis, quæ ad Dei cultum & iudicia ſpectabant. Succeſſit, inquam, fundamentum in ſummo Sacerdote. Deinde ſcriptum eſt in lib. Num. c. 11. Et dixit Dominus ad Moiſen; Congrega mihi 70. viros de Senibus Iſraël, quos tu noſti, quia Senes populi ſunt, ac Magiſtri; ac duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Hi erant fortaſſe, quos Eſ. cap. 3. Seniores & Principes vocat, qui differebant, inquit ibi Hierony. ſicut nunc Presbyteri & Epiſcopi. Quomodo igitur iam Sadeel nouum Teſtamentum ſic interpretabitur, vt conſonet veteri, ſicut conſtitutio Apoſtolica præcipit; & vetus, vt conſonet nouo; Si illic erat ſucceſſio eorum miniſtrorum, quos Deus in Moſaica Hierarchia poſuit, vſque ad aduentum Chriſti; & Euangelij eius; & in nouo Teſtamento non ſit item continuatio miniſtrorũ, quos idem Deus Chriſtus Ieſus, ad ædificationem & gubernationem Eccleſiæ, in ea poſuit? Si quid habet Sadeel, non nugatorium, ludicrum, leue, captioſum ac ioculare; ſed graue, firmum, ſerium & eruditum ad confutandum hæc, reſpondeat: Sin minùs, taceat, vt ei, & nobis meliùs conſultum ſit.*

## CAPVT OCTAVVM.

PERGAMVS *ad aliud, quod notat. Ad contumelias enim & conuicia, quibus omnes paginas implet, decreui nihil reſpondere: quia nihil ad rem faciunt.* Sequitur, *inquit*, aliud loquendi genus, quo dicit Petro ſingulariter datas eſſe claues, & Petrum ſingulariter iuſſum eſſe paſcere oues Chriſti. Nam, ſi verum eſt, Petro ſingulariter datas eſſe claues, aut Petrum ſingulariter iuſſum eſſe paſcere oues Chriſti, ſequitur falſum eſſe, quod affirmat Turrianus, Romanis Pontificibus datas eſſe claues, & eos iuberi paſcere oues Chriſti, quandoquidem Petrus non eſt idem numero cum Pontificibus. Chriſtus autem ſingulariter dedit Petro, in-

quit Turrianus; Non igitur etiam dedit Succeſſoribus. quia tunc dediſſet Petro communiter cum Succeſſoribus, ac ſingulariter dedit Petro, ita affirmante, atque adeò centies repetente Turriano. Quare centies etiam ex eodem Turriano concludam, nihil hîc eſſe, quod ad Petri Succeſſores pertineat. Nec enim eum iuuat, toties decantata ſucceſſio, & vicaria ordinatio, quæ locum non habet in iis, quæ ſunt eadem numero; quæ quidem nullam ſucceſſionem, vel vicariam ordinationẽ agnoſcunt. Poſita enim ſucceſſione, idem numero tollatur, neceſſe eſt. *Hactenus Sadeelis* πολυλογία *vel potiùs* φλυαρία. *Qui reſpondet, ait Salom. antequàm intelligat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat. Si Sadeel intellexiſſet, quod non ego; ſed Magnus Leo Primus teſtimonio Synodi Chalcedonenſis ſexcentorum Patrum laudatiſsimus, ac ſanctitate & ſcientia celeberrimus, in ſermone 3. anniuerſarij diei aſſumptionis ſuæ, dixit, ſingulariter datas eſſe Petro claues, nunquàm ſic ridiculè contra ſucceſſionem ac vicariam ordinationem argumentatus eſſet: Singulariter dixit Leo primus, datas eſſe claues Petro, id eſt, Petro, & non aliis Apoſtolis. Ei enim dixit, ſoli & nominatim, Tibi dabo claues regni Cælorum. Non dixit vobis, ſed tibi, vt intelligeremus, non omnibus communiter, ſed vni ſingulariter. Alioqui Dominus vobis dixiſſet, ſi communiter Apoſtolis dari voluiſſet. Sed rurſus, quia alij Apoſtoli claues etiam habuerunt, ſiquidem Poteſtatem ſoluendi & ligandi habuerunt. Subiũxit idem Leo; tranſiuit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit. Sed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Et paulò pòſt: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, vt non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare,*

Quid Leo primus Pont. Sanctiſs. & Eruditiſs. de poteſtate beati Petri & de clauibus ei datis teſtatus ſit in ſuis ſermonibus.

tare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur; tanquàm aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Hactenus Leo. Iamné sentit Sadeel, iamné videt, cùm Leo Magnus dicit, & nos cum eo, Petro singulariter datas esse claues regni Cœlorum, singulariter dixisse respectu aliorum Apostolorum; nõ autem respectu Successorum. qui, quatenus Successores eius sunt, vnum sunt cum eo, non numero, ne cauilletur Sadeel; sed charismate vnius & eiusdem potestatis clauium regni Cœlorum. Et paulò pòst idem Leo. Cùm itaq; dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium diuinitùs institutum, rationabiliter & iustè in Ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi, redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit. Sadeel verò sapientissimus, sapientior, scilicet, Leone Magno, non vult pro sua sapientia habere Ducem S. Petrum, neq; confiteri eum Principem totius Ecclesiæ, vt in die iudicij de iniustitia & amentia iudicetur cum his omnibus, qui eum obstinatè sequi voluerint. Non præteribo etiam, quod idem Leo in hoc eodem sermone paulò suprà dixit. Magnũ & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negauit. Sic dixit hoc de Potestate Apostolis à Christo per Petrum data, sicut paulò pòst dixit de firmitate eisdem Apostolis à Christo per Petrum tributa, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. An natura etiam non docet, quod si quid alicui primò conuenit, cæteris deinde non conuenit, nisi per illud, cui primò conuenit? vt, quia calor primùm conuenit igni, qui calidissimus est, aliis non conuenit, nisi per participationem ignis. Et illud notissimum omnibus est semper, propter quod vnumquodq; & illud magis esse, vt propter quod amamus

Quid natura ipsa doceat de Potestate clauiũ beato Petro data.

*mus & illud magis amatum eſt. Sic poteſtas clauium primò conuenit ei, cui ſingulariter inter Apoſtolos data eſt ab eo, qui ei ſingulariter dixit, Tibi dabo: Et cui ſingulariter dixit, Tu confirma fratres tuos. Sed ſecundùm ſapientiam Sadeelis, tunc opus fuit, vt Petrus confirmaret fratres ſuos Apoſtolos; poſt mortem verò Petri, non opus fuit Pontifice ſucceſſore Petri, qui fratres ſuos (ſic enim eos nominare ſolet) Archiepiſcopos & Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorum confirmaret, quia nulli ſunt ſucceſſores, & quia cum eis mortua eſt poteſtas clauium regni Cœlorum Petro ſingulariter data. Quod ſi me hic accuſat Sadeel, quòd à Philoſophia ſubſidium petimus, Apoſtolum etiam accuſabit, qui dixit in Epiſt. ad Cor. c. 11. Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: Mulier verò ſi Comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt. Quis iam hic tam ſtupidus, & vecors erit, vt ſapientiorem credat Sadeelem ad intelligendum verbum Dei, quàm Leonem Magnum? aut ſanctiorem & grauiorem ad credendum potiùs teſtimonio eius, quàm teſtimonio Leonis? aut Deum magis Sadeelem de poteſtate aliena per reuelationẽ docuiſſe, quàm Leonem de propria? An licebit ſuſpicari Sanctos mentiri, quia in cauſſa ſua teſtantur? Videamus igitur, vtrùm teſtetur Magnus Leo, ſe eſſe ſucceſſorem beati Petri, & Hæredẽ Sedis & Poteſtatis eius? Quod ſi ſapientiſſimus Sadeel adhuc dixerit, non eſſe ei credendum cauſſam ſuam agenti, & non maiorem reuerentiam, vt eſt religioſus vir, & pius in Sanctos Dei, adhibendam eſſe putet Sanctis, quàm aliis huius ſæculi hominibus, quibus in re ſua non facilè creditur, nos teſtimonium Leonis probamus teſtimonio ſexcentorum Patrum Concilij Chalcedonenſis: immò totius orbis Chriſtiani. Sed recitemus iam, quæ Leo Magnus, in extrema pag. ſermonis tertij, in anniuerſario die aſſumptionis ſuæ, non ſcripſit ſolùm, ſed in publico conuentu, in conſpectu Eccleſiæ Romanæ dixit: Illi ergo, Petro ſcilicet, hunc ſeruitutis noſtræ natalitium diem, illi aſcribamus hoc feſtum, cuius patrocinio Sedis ipſius meruimus eſſe Conſortes, auxiliante nobis per omnia gratia Domini noſtri*

Quomodo Apoſtolus docuerit, à natura ducere argumenta in ſpiritualibus.

Sadeelis teſtimonium grauius & ſanctius teſtimonio grauiſſimi & ſanctiſſimi Leonis Magni.

Quomodo nos teſtimonium Leonis in cauſſa ſua probamus.

*Ieſu*

Iesu Christi. Ecce Cõsortem se dicit Sedis Petri. Qui autem vnius potestatis Cõsortes sunt; pares in ea potestate sunt. Sed dicat adhuc clariùs, si dici potest clariùs, quo magis Sadeelem cauillari fortasse pudeat. In superiore, id est, secundo sermone; his itaq; modis, rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas; vt in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Pastorum solicitudo, cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in indigno Hærede non deficit. Ecce Hæredem se dicit dignitatis Petri: Hæres autẽ dignitatis eius, qui ex hac vita recessit, successor est. De Petro verò, quod testimonium dicat, audiamus, quæ sequuntur. Vnde, inquit, venerabilium quoq; Fratrum, & Consacerdotum meorum desiderata mihi, & honoranda præsentia hinc sacratior est, atq; deuotior, si pietatem huius officij, in quo adesse dignati sunt, ei principaliter deferunt, qũum non solùm huius Sedis Præsulem, sed & omnium Episcoporum nouerũt esse Primatem. Qui autem Principatum tenet in omnes Episcopos, necesse est, vt omnes Episcopi ad eius curam pertineant, & ad cuius curam, tanquàm communis Pastoris omnes Episcopi pertinent, etiam communes omnium Ecclesiæ pertineant, necesse est. Sequitur. Cùm ergo cohortationes nostras auribus vestræ Sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cuius vice fungimur, loqui credite. Quia & illius vos affectu monemus, & non aliud vobis, quàm quod docuit, præstamus. Ecce vice Petri testatur se fungi, quod nihil aliud est, quàm successorem Petri esse. Rursus, in primo sermone anniuersarij diei assumptionis suæ, omnem honorem suum & reuerentiam erga se ad beatum Petrum, tanquàm successor refert. Nec abest, inquit, vt confido, ab hoc cœtu, etiam beatissimi Petri Apostoli dignatio, & fida dilectio; neq; vestram deuotionem ille deseruit, cuius vos reuerentia congregauit. De vestro itaque & ipse gaudet affectu, & in Consortibus honoris sui obseruantiam Dominicæ institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius Ecclesiæ charitatem, quæ in Petri Sede Petrum susceperit, & à tanti amore Pastoris, nec in persona tàm imparis tepescit Hæredis. Vt ergo

*hæc pietas, dilectiſſimi, quam erga humilitatem meam vnanimiter exhibetis, fructum ſtudij ſui conſequatur, miſericordiſſimam Dei noſtri clementiam ſupplices obſecrate, vt in diebus noſtris expugnet impugnantes nos: muniat fidem noſtram, multiplicet dilectionem, augeat pacem; meq; ſeruulum ſuum, quem, ad oſtendendas diuitias gloriæ ſuæ, gubernaculis Eccleſiæ voluit præſidere, ſufficientem tanto operi, & vtilem veſtræ defenſioni dignetur efficere. Hæc, quæ Leo Magnus de Poteſtate beati Petri, & de ſucceſſione ſua in eius locum ſcripſit, & in conſpectu Eccleſiæ Romanæ prædicabat, omnes maiores C.V. crediderunt, & vſque ad mortem tenuerunt, & tenerent hodie omnes Principes & populi eorum in nobiliſſima Germania, niſi ille Satan veniſſet. qui tanquàm lupus rapax nõ pepercit gregi, loquens ſicut Apoſtolus de aliis Epheſi prædixit, peruerſa, vt abduceret diſcipulos poſt ſe, ex quibus voluit eſſe Sadeel. Quod autem Leo Pontifex tantoperè ſe extenuat, & ſeruulum ſe vocat, & imparem Hæredem, & indignum, non ſolùm ita locutus eſt, pro modeſtia ſua, ſed vt admoneret, ſucceſſionem & hæreditatem Sedis beati Petri nõ pendere, in meritis & ſanctitate Pontificis, ſed in dignatione Dei; nemo enim, ſicut Apoſtolus ait, ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Non deerant, qui tunc Leonem Pontificem, alioquin ſanctiſſimum & ſapientiſſimum, impugnarent, ſicut ipſe in primo ſermone dixit: Supplices obſecrate, vt in diebus noſtris expugnet impugnantes nos. Immò neq; ſi nunc quidem reſurgeret Leo, & Pontifex eſſet, Sadeel pro ſua obſtinatione & pertinaci duritia eum impugnare deſineret; qui, vt malæ menti & malo animo ſuo excuſationem in peccatis prætexat, vitam Pontificis, quicunq; ſit, à Diabolo accuſatore fratrum noſtrorum, ſicut ait Ioannes in Apoc. incitatus, ſemper petulantiſſimè calumniatur, & tam cæco odio in eum debachatur, vt videatur vix credere hominem eſſe. Sed aderit dies Domini, cùm iudicabitur abillis Pontificibus, quos ipſe iudicauit. Nunc verò, vt ad Petrum redeam, cuius Succeſſorem negat, ſciat ſe Sadeel non contra Turrianum, id eſt, contra Ieſuitam vilem & inutilem*

Quomodo Sadeel in Leonem Magnum ſcribit neſciens.

*ſeruum*

*seruum, & imperitum, neq; bonum Grammaticum, vt Sadeel dicit, sed contra Magnum Leonem, sanctitate & eruditione illustrem scribere. Illi igitur posthac respondeat, vt gloriam ex nobilitate aduersarij reportet, & dimittat me humilem & abiectum. Sed veniamus tandem ad dissolutionem Syllogismi.* Tertium Syllogismum Turrianicum, *inquit*, sic dissoluamus. Maior propositio, constituto siue posito fine Ecclesiæ, ea, quæ ad illum finem referuntur, esse quoque necesse est, fallax est παρὰ τὸ ὁμωνυμία in vocabulo finis. Ita enim proponitur, vt si de causa finali ageret, cùm tamẽ agat de perfectione, quæ est rei perficiendæ finis, & vltimus terminus. *Falsum est, fallacem esse propter homonymiã priorem sumptionem; ex posteriore enim sumptione constat, de quo fine accipienda sit sumptio prior; nempe, de perfectione, quæ est rei perficiendæ finis & extremum, quod est Sanctorum consummatio, quæ* κατάρτισμος *vocatur à Paulo. catartismos autem non cadit secundùm proprietatem verbi nisi in eum, cui aliquid deest, quod quidem in hac vita contingit. Hic enim ædificamur domus spirituales, sicut beatus Petrus ait, & vbi ædificamur domus spirituales, ibi perficimur, id est, ad extremum ædificij perducimur. Deinde, inquit*, illud verbum, esse, insidiis non caret. *iudicat Sadeel non carere insidiis, qui omnia habet suspecta. at qui ambulat simpliciter, ait Salomon in prouerbiis, ambulat cõfidenter.* Nam, quamuis, *inquit*, semper sint, quæ ad finem referuntur, tamen non necesse est illa ipsa esse, atque eadem permanere ἐν τῷ γίνεσθαι quod vult Turrianus. *Verum est, non necesse est illa ipsa esse, atque eadem numero, scilicet, permanere; immò neq; fieri potest, vt illa ipsa & eadem numero permaneant. Sed, sicut ipse Sadeel confitetur, si finis est, ea quoq; esse, quæ ad finem referuntur, necesse est, vt fert natura & ratio, tum finis, tum eorũ, quæ ad finem spectant. Natura autem & ratio eorum, quæ hic ad finem referuntur, fert, vt, quia ij, quos Deus dedit ad consummationẽ Sanctorũ in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, morte, sicut Apostolus ait, prohibebantur permanere,*

Dissolutio tertij Syllogismi.

Quam vim habeat verbum κατάρτισμος

*manere, alij, & item alij in locum eorum per vicariam ordinationem ſuccedant. Deinde dicit Sadeel,* Minor propoſitio ita intelligenda eſt, Sanctorum conſummationē nouiſſimo die futuram, illum finem eſſe, hoc eſt, eam perfectionem, ad quam initia & progreſſus Eccleſiæ tendunt. Sed Turrianus conſummationem Sanctorū includit in hac vita. *Fallitur Sadeel. Vis enim & proprietas verbi Græci, quod Interpres Cœtus conſummationem interpretatur, non patitur, vt ex hac vita hanc conſummationem Sanctorū excludamus, ſicut Sadeel excludit; ſi quidem extra hanc vitā omnes nos, ſicut Apoſtolus ait, oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum; Vbi enim eſt ædificatio, ibi oportet eſſe conſummationem ædificij: In hac autem vita ædificamus ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam. Propoſitio igitur Sadeelis eſt* ἑτερόδοξος, *non mea, vt ipſe vult; & ipſe* ἑτεροδιδασκαλῶ. *Vnus ex iis, quibus Apoſt. per Timotheum iuſſit, ne aliter docerent, nec intenderent fabulis. Fabula enim eſt diſcere hanc conſummationē Sanctorū, quam Apoſt. vocat* καταρτισμόν, *fieri extra hanc vitam, quaſi ibi ædificetur corpus Chriſti, & ſit ibi opus miniſterij. Hæc enim tria, quæ Apoſt. coniunxit, in hac vita ſiunt, conſummatio Sanctorū, opus miniſterij & ædificatio corporis Chriſti; Duas igitur ſumptiones non probauit Sadeel falſas eſſe, & probaui ego veras eſſe, ex quibus efficitur, quod cōcluditur. Ratio enim connexi cogit, vt, cùm conceſſeris ſuperiùs, concedendum ſit inferiùs. Quod enim ait Sadeel,* nullam vim habet hæc complexio, quæ multos etiam alios errores admittit; primus error, plùs concludi, quàm in ſumptionibus contineatur. *Dixit tantùm Parmenianus, & non probat: at probo ego non contineri plùs autoritate Apoſt. Pauli, qui ait; dediſſe Dominum quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas; alios autem Euangeliſtas; alios Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum; at inter Apoſtolos vnus erat maior, ſicut Dominus in Euan-*

Quomodo redarguatur ratio errorum à Sadeele falsò facta.

gelio

*gelio Marci & Lucæ dixit, quod suprà probaui; hos autem omnes debere manere in Successoribus suis per vicariam ordinationem, quia morte prohibebantur permanere, ipsa ratio necessaria Ecclesiasticæ gubernationis, & natura postulabant. Ita fit, vt hi omnes referantur ad consummationem Sanctorum, quæ in secunda sumptione continetur.* Secundus error quòd non rectè assignat ea, quæ ad perfectionem Ecclesiæ referuntur. Nec enim proponit initia & progressus ædificationis Ecclesiæ, quæ sunt ἐν τῷ γίνεσθαι, *cauillatio est manifesta, qua nō me, sed Apostolum reprehendit nescius. Apostolus enim est, qui dicit, dedisse Dominum quosdam Apostolos; quosdam verò Prophetas; alios Euangelistas & Pastores, ac Doctores ad consummationem Sanctorum, ergo vt hoc perficiatur, ad quod perficiendum illos dedit, necesse est illos esse eo modo, quo esse possunt, nempe in Successoribus; esse autem Successores non possunt, nisi fiant, quia* τὸ γίνεσθαι *tendit, vt ait Sadeel,* ὡς τὸ εἶναι *mihi satis est inferre ex verbis Apostoli esse in Ecclesia Catholica Successores eorum, quos Deus dedit, quos Hæreticus contra scripturam & naturam, & Apostolicam Ecclesiæ Catholicæ traditionem tollit. Quid à me de initiis & progressibus ædificationis requirit, qui totum ædificium vno verbo deturbat, cùm Successores Architectorum aufert?* Tertius error quòd locum Pauli ad Ephesios deprauans existimet, illum ordinem, cuius meminit Paulus, debere esse in Ecclesia perpetuum. *Hìc etiam noster Parmenianus dixit tantùm; debebat enim docere & probare, si poterat deprauare me locum Pauli ad Ephesios, dum existimem debere esse ordinem, cuius meminit Apostolus, perpetuum in Ecclesia: Sed satis fuit illi noluisse. Danda est venia, si non potuit; immò Sadeel locum Pauli deprauat, dum existimat, sic interpretandum esse, vt non debeat esse perpetuus in Ecclesia hic ordo, quia, si non est perpetuus, nec erit perpetua consummatio Sanctorum, neque perpetuum opus ministerij, neque perpetua ædificatio*

Sadeel vbique Parmenianum agit dicendo tantùm, & non probando.

*dificatio corporis Chriſti : Poterint igitur hæc interrumpi; His autem interruptis, oportebit, vt interim deſinat Chriſtus regnare in Eccleſia, ecquid aliud erit hoc, quàm prævalere portas inferi, id eſt, Hæreticos aduersùs Eccleſiam, cuius ædificium, deturbandum Architectos, fabros, & operarios eius tollunt? Quomodo igitur erit verum, quod Apoſtolus ait: Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum eius?* Quartus error, quòd à Petro ad Pontifices Romanos, & ab Apoſtolis ad Epiſcopos digrediens, ſomniet Petrum in Pontifice Romano, & Apoſtolos in Epiſcopis perpetuò eſſe & manere, nempe, quos ſimili ſomnio illis Succeſſores aſſignauit. *His etiam, vt perpetuò ſit ſui ſimilis, dicit tantùm Parmenianus: Cauillari enim non eſt probare; cauillationem verò Sadeelis, contra ſuæ ceſſionem paulò ſuprà, ſatis vt opinor, confutaui. & nunc rurſus verbo Domini confuto, qui dixit ſanctis Apoſtolis: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Quomodo enim cum Apoſtolis eſt nunc, & erit vſque ad conſummationem ſæculi, ſi Apoſtoli neque per ſe ſunt in hoc ſæculo, neque per alios, qui in eorum locum per vicariam ordinationem, vt Cyprianus ait, à Deo vocati fuerint? an mentitus eſt Dominus? Quòd ſi Dominus non eſt mentitus; Sunt igitur Apoſtoli in hoc ſæculo, cum quibus Chriſtus eſt vſque ad conſummationem ſæculi. at non ſunt per ſe; Sunt igitur per alios. Habent igitur Succeſſores. Succeſſores enim vocat ſcriptura eos, qui in eadem Poteſtate ſuccedunt, ſicut Lucas in actis Apoſtolorũ ait. Accepit Succeſſorem Felix Portium Feſtum. Hactenus de tribus Syllogiſmis. quos ex meo libro dicit Sadeel ſe collegiſſe, quibus tanquam laqueis à ſe factis captus eſt. vt ſatis me demonſtraſſe puto. Rurſus Sadeel cum vniuerſa Eccleſia, & cum omnibus Sanctis Patribus pugnans tres ſuos Syllogiſmos meis opponit, quos dicit,* veriſsimos eſſe, & certiſsimis Theologiæ principiis niti, *quibus principiis non dixit, ne redargueretur, neque veriſsimos eſſe*

Quomodo verbum Dei negat, qui Succeſſores Apoſtolorum negat.

Sadeel tribus Syllogiſmis à ſe ex libro meo conſtructis irretitus & captus.

*esse aliter probauit, quàm dicendo tantùm, quia hoc genus probandi tantum didicit.* Tres Syllogismi Sadeelis meis oppositi. *Primus Syllogismus*, nullum accidens Ecclesiæ, quod ad exteriorem formam & ordinem ad aliquod tempus necessarium pertinet, debet perpetuò permanere. *Quo iure sumit Sadeel id, de quo quæstio est? &, quod neque probat, nec ei conceditur? de hoc enim disceptatur, vtrùm ad tempus aliquod fuit necessarium hoc, quod accidens Ecclesiæ vocat, an perpetuò? Sadeel dicit ad tempus aliquod; Turrianus perpetuò. Sadeel verò sua arte differendi, quam frequenter iactat, sumit neque à se probatum, nec ab Aduersario datum, sed controuersum. Altera sumptio est*, hæc dispositio Ecclesiæ, vt Ecclesia, scilicet, haberet Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores & Pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi (*de hac enim dispositione est disceptatio nostra*) fuit accidens Ecclesiæ ad exteriorem formam, & ordinem ad aliquod tempus necessarium pertinens, *falsum est, nec vnquam Sadeel probauit, verum esse hoc, quod assumit; non enim ad aliquod tempus, sed ad omne tempus vsque ad consummationem sæculi pertinuit. Quia si ad omne tempus vsque ad consummationem sæculi necessariò pertinet hoc accidens, (sic enim loquitur Sadeel) scilicet, consummatio Sanctorum, opus ministerij & ædificatio corporis Christi; necessariò etiam ad omne tempus pertinet hæc dispositio Ecclesiæ, quæ ad illud accidens perpetuò futurum data est. An enim dicturus est Sadeel, intermittendum esse vllo vnquam tempore in Ecclesia Catholica opus ministerij & ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia? non credo ita insaniri, vt hoc dicat. Probo etiam hoc (si non satis est Sadeeli verbum Apostoli) testimonio omnium Ecclesiarum, quæ per cunctum orbem Christianæ dicuntur, & sunt, & testimonio omnium Ecclesiarum, quæ ante Lutherum in Germania fuerunt, quæ hanc dispositionem secundùm formam & or-*

*dinem exteriorem habuerunt, quam nos habemus. Quid hîc cauillari poterit Sadeel, niſi cauillationes, vt ſæpius repetam, Hæreticis familiares, vt Magnus Athanaſius dixit, indecoras, incredibiles & facilè refutabiles? Sed, vt exemplis, quod dicimus, manifeſtiùs fiat, loquamur de vnius Sancti, ſiue Sanctificati, (ſic enim ſcriptura Pauli vocare ſolet Chriſtianos) catartiſmo, ſiue conſummatione, per miniſterium Sacramenti Pœnitentiæ in ædificationem corporis Chriſti, id eſt, vt fiat iſte, cui adhibetur catartiſmus, membrum Chriſti viuum ex mortuo; aut per Baptiſmum fiat membrum Chriſti ex non membro, aut per reconciliationem Hæretici membrum abſciſſum rurſus coagmentetur corpori tanquàm membrum ſanctum. Eſt hic catartiſmus, ſiue conſummatio ἁρμογὴ, id eſt, habitudo inter duo extrema, quæ Græci vocant ἄκρα, ex quibus extremis per mediam habitudinem exiſtit effectus, qui eſt finis conſummantis tanquàm agentis, & conſummati tanquàm paſſi. Sicut ædificatio eſt habitudo media inter ædificantem & ædificium: Et ex extremis, ſcilicet, ædificante & ædificio per mediam habitudinem, id eſt, per ædificationem exiſtit domus finis ædificantis, & ædificij tanquàm finis actionis & paſſionis, vt Philoſophi tradunt. Ad hunc modum in ſpiritualibus, quæ naturas modo ſuo habent, cogitandum eſt. Conſummatio igitur & miniſterium, ſiue miniſtratio, quæ Diaconia dicitur, & ædificatio corporis Chriſti ἁρμογὴ id eſt, habitudines ſunt inter extrema ſua, & ſicut hæ habitudines perpetuò durant in Eccleſia, & mutari non poſſunt; ita etiam earum extrema, quæ ab eodem auctore habitudinum Chriſto Ieſu Architecto & fundatore Eccleſiæ ſuæ poſita ſunt, ſuo ordine & gradu perpetuò durant, & mutari non poſſunt; ita vt habitudo media cum extremis, & extrema cum media habitudine ſemper conueniant, vt, ſicut Apoſtolus ait, omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in Eccleſia Dei: In conſummatione enim Sanctorum, & in opere miniſterij, & ædificatione corporis Chriſti non omnia omnibus Miniſtris conueniunt & licent; ſed*

Demonſtratio exẽplis expreſſa, quomodo conſummatio Sanctorum, quam Paulus in Epiſ. ad Eph. dicit, perpetuò duret in Eccleſia vſq; ad conſummationem ſæculi.

*alia*

*alia Maioribus, alia Minoribus; alia, inquã, Archiepiscopis, alia Episcopis; alia Presbyteris, alia Diaconis; alia Summo Pontifici: &, quæ conueniunt Minoribus, omnia facere possunt Superiores* αὐτοεργῶς, *vt verbo Dionysii vtar, id est per se ipsos. Hæc omnia miseri Confessionistæ ex Ecclesiis suis deleuerunt contra scripturam sanctam, contra ordinem rerum spiritualium à Christo sanctis Apostolis traditum, contra consuetudinem omnium Ecclesiarum, quæ subter Cælum sunt, ex Apostolica traditione profectam, & ab omnibus sanctis Patribus & Doctoribus Ecclesiæ libris & scriptis celebratam, & in nobilissima Germania ante aduentum funestum, & parricidialem Martini Lutheri sacrilegi Apostatæ, & Hæresiarchæ semper ab initio Christianitatis suæ religiosè & piè cultam, & constantissimè retentam.* Secundus Syllogismus, nullũ corpus, quod nunc solis mentis oculis cernitur, ac fide creditur, & habet Caput in Cœlis, potest habere Caput visibile in terris. *Detur hoc in solis Beatis, qui in Cœlis sunt. secunda sumptio,* Ecclesia Catholica est corpus, quod nunc solis mentis oculis cernitur, ac fide creditur, & habet Caput in Cœlis. *Quis dedit hoc Sadeeli? Ecclesiam Catholicam esse corpus, quod solis mentis oculis cernitur? aut quando, vel quomodo probauit? aut nunquid non de hoc contendimus? Quomodo igitur hoc sumit ad cõcludendum, quod necessariò, vt ipse vult, concedendum sit? quæ ista disserendi peritia & ars, de qua Sadeel tantoperè gloriatur, & cuius insciti am nobis passim obiicit? Ego falsum esse hoc, quod sumit, & auctoritate multiplici scripturarum, & multis sanctorum Patrum testimoniis probaui. illa debebat priùs, si poterat, refutari, scripturas dico scripturis, & Patrum testimonia testimoniis. Sed, qa fortasse dicturus est, fecisse hoc in hoc libro, suis locis videbimus, an ita sit. reseruabo me ad illa.* Tertius Syllogismus. nihil, quod ad initia Ecclesiæ Christianæ propriè spectauit, debet manere in Ecclesia Christiana vsq; ad ipsius consummationem, neq; per se, neque per successio-

Sadeel secundũ artem disserendi, quã didicit, & semper iactat semper sumit, quæ neque probat ipse, nec Aduersarius dat.

nem, aut vicariam ordinationem, Apoſtoli, Prophetæ, & Euangeliſtæ, de quibus Paulus locutus eſt, ad initia Eccleſiæ Chriſtianæ propriè ſpectârunt, *hæc ſumpſit ad concludendũ quod vult, ſed, ſi rogemus Parmenianum noſtrum, quo iure ſumit, quod ipſe dicit tantùm & non probat, non poterit verè reſpondere, niſi quo iure ipſe etiam dicenti tantùm credidit. Probaui ego Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, quos Deus dedit Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus teſtatur, ſpectâſſe & pertinuiſſe propriè non ad initia Eccleſiæ, quod fingit Sadeel, & ipſe tantùm dicit, & non Apoſtolus, ſed ad catartiſmum, id eſt, conſummationem, ſiue inſtructionem Sanctorum, & ad opus miniſterij, & ædificationem corporis Chriſti, ergo quandiu hæ habitudines ſiunt in Eccleſia, tandiu manent extrema earum; ſiunt autem illæ perpetuò vſq; ad conſummationem ſæculi, quouſq; occurramus omnes in vnitatem fidei; incidit ergo Sadeel iuxta parabolam in foueam, quam fecit; id eſt, Syllogiſmis meis, quos dicit ſe ex meo libro collegiſſe, remanet irretitus; & ſuis Syllogiſmis, quos meis oppoſuit, redargutus, & conuictus ad confuſionem ſuam, & ad Domini Ieſu gloriam cum Patre, & vtriuſq; Spiritu in ſæcula ſæculorum,*

*Amen.*

Hunc quoque tertium librum, eumq; bipartitum R. P. D. Franciſci Turriani, tanquam Catholicum, eruditum, ſolidum, futilibus ac impiis Sadeelis Lutherani cauillationibus rectè vtiliterq; opponi poſſe cenſeo.

ALBERTVS HVNGERVS, *S. Theologiæ D. Profeſſor, & Procancellarius in Academia* INGOLSTADIANA.

# ERRATA.

ἀναισχυντίας pro αναχυντίας pagina 1. versu 25. κακόνοιαν pro κακόνταν pag. 2. ver. 2. & pag. 5. ver. 26. hæreses pro hæresis, p. 5. 16. θεοπαχίται pro θεοπαχίται pag. 22. 30. eos pro eas pag. 29. 20. putantur pro tucantur pag. 30. 1. Ibidem ἁπλῶς κατά pro ἁπλῶς κατά ver. 20. μυθολόγ pro μυθόλογ pag. 30. 13. In eodem versu, id est, fabulator. Deinde in medio maiusculis CAPVT QVINTVM. κὴ ῥαδύμως pro κὶ ῥαδίμως pag. 35. 7. nostris pro nostis pag. 31. 2. Ibidem in margine Apostatæ pro Apostati. vero pro verò pag. 56. 18. δοκήσει κὴ pro δοκήσεικαὶ pag. 60. 12. Ibid. αἰσθητῶς pro αἴσθητῶς ver. 8. ἐσχατον pro εσχαυτον pag. 42. ver. 24. Ibidem τῶν pro τῶ ver. 26. ὐ τυραννεῖται pro ὑτυραννεῖσαι pag. 45. 11. ἔπεσθαι pro ἐπεσθαι pag. 70. 1. Ibidem ἐννόιας pro ἐννοόιας τῇ ενεργείᾳ pro τῇ ἐνεργίᾳ pag. 99. 23. sit pro ist pag. 78. 1. Φερώνυμ pro Φερωνύμως pagina 105. 22. constituat pro constituit pag. 111. 6. καταρτισμὸς pro καταρτὲομὸς ibidem 19. Dele: De quo in Ep. ad Eph. pag. 112. 1. Ibidem dele: fundabit ver. 4. Et: Pet. cap. 5. ibidem. refutare pro refutari pag. 131. 26.